



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titvlvs. XII. De Homicidio Voluntario & Casuali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

miles cedunt aliis fortioribus, ut sunt, quæ peccatum excludunt, aut favent proli, Menochius *de Arbitr. casu* 396. n. 15.

11. Unde expositæ proles potius, ut de Jure debuerunt, ex nuptiis, quàm ex fornicatione natæ præsumuntur; ac proinde Ordinum & beneficiorum capaces sunt sine dispensatione.

12. Neque tamen hinc sequitur, eos etiam capaces esse canonicatum, aliarumque dignitatum & officiorum, ex

fundatione vel statuto exigentiù nobilitatem, cum; quia, licet præsumantur qualitates, quæ communiter insunt, aut sunt necessariæ ad excludendum delictum: non tamen præsumuntur aliæ speciales &, quæ communiter non insunt: tum verò; quia, quando certa aliqua qualitas à fundatore vel statuto requiritur, probanda est, neque sufficit, quòd ipsius præsumptio adsit, Barbosa & Gonzalez *l. cit.*



## TITVLVS XII.

### De Homicidio Casuali & Voluntario.

**C**ontra aliorum DD. & Scholarum, specificam rerum considerationem ferè subjiciendum genericæ; at non contra suum morem, neque inconsulto Gregorius Papa à Parricidio & infantum Expositione propter istorum atrocitatem ad Homicidium eique affinem Mutilationem progreditur; ac proinde speciei genus subiicit, & ex parte miscet Rubrica præsentis.

#### ARTICVLVS I.

### De Natura & Varietate Homicidij & Mutilationis.

#### SUMMARIUM.

1. Homicidij etymon & definitio.
2. Divisio in Voluntarium & Casuale.
3. Iustum & Injustum.
4. In Necessarium, Dolosum, Culpo-

sum & Casuale.

5. Dolosum vel Simplex est, vel Deliberatum:

6. Quod quatuor sepe modis committi solet,

7. Definitio Mutilationis,

8. Et Membri corporis.

**H**omicidium, ab *Homine occidendo*, sive ejus cæde sic dictum, *can. Si homicidium*, 23. q. 5. & *l. Ita vulneratus* 51. pr. ff. ad *L. Aquil.* est Violenta exanimatio hominis ab homine facta, Harprecht *in §. Item lex Cornelia* 5. *Instit. de Publ. judic.* n. 6. Farinac. *Prax. Criminal.* q. 1. 9. n. 3. *in fine*, & Pirrhing *ad hanc Rubric.* n. 1. *Ab homine*, inquam; quia, si homo à fera vel bruto occidatur, propriè non Homicidium, sed Pauperies vocatur, *Rubr. & text. Instit. & ff. Si quadrup. paup. sec. & Hominis*, sive humani corporis, intellige, cujuscunque ætatis

Q 2

tatis, sexûs & conditionis, L. 1. §. 2. ff. *de l. Si quis §. C. ad L. Cornel. de Sicar.* etiam nondum editi in lucem; nam etiam, qui factum animatum interimit; homicida est, l. *Necare 4. ff. de Agnosce. liber.* & argumentò à contrario ductò ex *can. Aliquando 7. can. Quod verò 8. Sc. 32. q. 2.* & homicidii pœnâ tenetur, l. *Si quis cit. ubi Glossa V. Infantia,* Covarruvias in *Clement. Si furiosus p. 2. §. 3. n. 1.* Gomez Tom. 3. *Var. cap. 3. n. 32.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 122. à n. 131.* & Paul. Zacchias *Q. Q. Medico-Legal. Lib. 1. Tit. 2. q. 9. à n. 2.* Sic breviter declaratum

2. Homicidium imprimis à Canonistis passim dividitur in Voluntariũ & Casuale secundum *hanc Rubr.* Voluntarium dicunt, quod intenditur vel in se & directè, v. g. ferrò impetum ferendò ex proposito & animò occidendi; vel indirectè, ponendò causam ad eò propinquam; ut ex ea mors moraliter certò securura potuerit prævideri; licet hæc in se non intendatur: sicut contingit, si ex gravi percussione scœminæ prægnantis sequatur abortus, vel si animò vulnerandi gladiò circa cor ictus moriatur, aut sclopò in locum hominibus frequentem explosò aliquis occidatur, Covarruvias in *Clement. Si furiosus p. 2. pr. n. 1.* & Vallens. ad *hanc Rubr. n. 2.* Casuale sive involuntarium vocant, quod accidit præter intentionem occidentis ad.ò; ut hic id non intenderit directè, neque etiam indirectè dandò causam ejus valde propinquam, etsi fortè culpam aliquam adferit, non adhibendò debitam diligentiam ad id præcavendum: sicut fit, cum pilâ modò in ludo non insolitò ictus corruit mortuus: cum ex vulnere non lethali mors sequitur malitiâ vel imperitiâ Chirurgi &c. *cit.* Covarruvias §. 4. n. 1, Vallens. n. 6. & Pirrhing n. 2.

3. Homicidium Voluntarium ulterius aliud Justum, quod nullâ; aliud Injustum est, quod aliquâ, Naturali, Divina aut Humana lege prohibetur.

4. Aliter, sed non multum diverso sensu alii, præsertim Legistæ Homicidium partiuntur in Necessarium, Dolosum, Culposum & Casuale: quorum primum ob necessariam sui defensionem, servato moderamine inculpatae tutelæ; alterù dolo malo sive animò & intentione occidendi: tertium sine tali intentione, sed culpâ aliquâ in eo præcavendo admittitur: postremum casu omnino fortuito committitur, Clarus §. *Homicidium, à n. 1. in fine.*

5. Homicidium Dolosum & Injustum ulterius aliud Simplex est & aliud Deliberatum: quorum illud animò quidem occidendi, non tamen deliberatione, eadem ex intervallo præcedente: sed in rixa subito coorta & calore iracundiæ superveniente: hoc verò sive Deliberatum ac Præmeditatum deliberatione & occidendi proposito, ex intervallo præcedente, perpetratur, Clarus §. *Homicidium cit. à n. 6. & 8.* secundum quem Simplex non Deliberatum seu Præmeditatum homicidium committitur ab eo, qui, inimico sibi occurrente, irâ commotus ferrum stringit aut exonerat sclopum, eumque interficit: nisi occidendi animus seu propositum antè conceptum fovisse, idque exequendi studiò cum armis ei occurrisse appareat, aut legitimè probetur.

6. Deliberatum homicidium secundum *cit.* Clarus n. 7. quatuor potissimum modis committi solet; scilicet deliberatè quidem ac præmeditatè, sed sine alia qualitate, delicto specialem malitiam addeute, ex Infidiis, Proditoriè & per Assassinium. De omnibus his Justis Injustisque Homicidii speciebus agemus.

7. Homicidio vicina est Mutilatio, sive am-

ve amputatio vel truncatio alicujus membri, juxta c. Clericis 5. Ne clerici vel Monach. & c. In Archiepiscopatu 4. de Rapt. & Incend. Membri, inquam; quia, sicut cui solum infligitur vulnus cum copiosa sanguinis effusione: sic etiam mutilari non dicitur is, cui excutitur dens, vel abscinditur digitus, aut pars carnis, Suarez de Censur. disp. 44. s. 2. n. 6.

8. Membrum autem proprie est Pars corporis, quæ notabilem & peculiarem functionem, sive ab aliis corporis partibus distinctum officium habet: ut sunt oculus, auris, manus, pes, lingua, maxilla mamilla femina, genitalia, & similes: & non solum officium, aliquid membrum in sua functione adjuvandi: ut digitus, dens, pars carnis, ut colligitur ex l. Idem 10. junctâ Glossâ, ff. de Edict. edito ubi digitus pro membri parte habetur: & ex D. Paulo, Roman. cap. 12. v. 4. ubi, dum Omnia, inquit, membra corporis non eundem actum habent, non obscure ex actibus distinctis membra distinguit, Panormit. in c. Cum illorum 32. de Sent. excommunicat. n. 8. ubi Felinus n. 3. Covarruvias in Clement. cit. p. 3. pr. n. 8. & Molina de J. & J. Tract. 3. disp. 69. n. 2.

### ARTICULUS II.

## De Homicidio Voluntario Justo, secuto ex rei Condemnatione.

### SUMMARIUM.

9. Justa est condemnatio malefici ad mortem.
10. Ea tamen irregularis fit judex, ejus assessor
11. Accusator, testis & alij ad sententiam,

12. Et istius executionem cooperantes;
13. Ob defectum perfectæ Lenitatis Christianæ.
14. Irregularitatem rei condemnatione non contrahunt Papa,
15. Inquisitor Hæreticæ pravitatis, infidelis,
16. Prælati causam sanguinis delegans,
17. Et super crimine civiliter tantum,
18. In sua, Ecclesia sua & conjunctorum causa agens,
19. Si penam sanguinis non intendi, expressè protestetur:
20. Uti & super quovis coram Ecclesiastico;
21. Et super non capitali crimine coram Laico criminaliter agens.
22. Irregularitas evitatur protestatione factâ.
23. Eandem non semper incurrit consules,
24. Laicus in causa sanguinis testificari coactus,
25. Et clericus spectator supplicii capitalis.

**J**Uste homo occiditur plerumque publicâ: aliquando propriâ & privatâ autoritate. Publicâ, vel in Judicio per sententiam condemnatoriam nocentis, vel per hostis cædem in Bello justo. Privatâ ob necessariam & inculpata defensionem. Singulas justii homicidii species singulis Articulis discutimus. De eo, quod in Judicio fit,

Catholica veritas est, à legitima potestate humana licite justique in maleficos ferri, & per publicos justitiæ administratos executioni mandari sententias quibus illi ad mortem, aut membrorum, truncationem condemnantur. Quantumvis enim vitæ ac membrorum, sicut Author, sic etiam Dominus sit solus Deus, juxta illud, Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, Sapient. cap. 16.

Q 3

v. 13. &

v. 13. & Non est alius Deus praeter me; ego occidam & ego vivere faciam, Deuteron. cap. 32. v. 33. legitimo tamen Magiltraui humano ab ipso data est potestas in malefactores & facinorosos animadvertendi, eosque cum Republicae salus exposcit, tanquam putrida & noxia membra ultrice gladio amputandi aut coercendi; ipsi enim praecipit Deus; *Maleficos non parieris vivere*, Exodi cap. 22. v. 19. Conlonat S. Gentium Doctor, cum de humana potestate loquens, *Non sine causa*, inquit, *gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui male agit*, Rom. cap. 13. v. 4. Divino Juri inhæret Ecclesiasticum, *can. Quasium 41. can. Si quos 45. Ec. 23. q. 4. can. Prodest. 4. can. Quali 43. eadem causa, q. 5.* ubi à Pelagio Papa, Divinae Majestati à Justitiæ Sacerdotibus majus sacrificium & pinguior hostia offerri non posse, dicitur, *Quam si ordinem, ut, qui in suam & aliorum perniciem debacchantur, competenti vigore compescantur*, c. *Postulasti 21. hâc Rubr. & alibi passim.* Quò tamen non obstante Explorati, sibi que & Divino minimè adversantis Ecclesiastici, Juris Regula est, sententiâ judiciali, mortis vel mutilationis pœnam decernente, ejusque executione induci irregularitatem: quam, sive clerici, sive laici sint, rei morte aut mutilatione secutâ contrahunt Primò Judex, ejusmodi sententiam proferens vel dicens, *can. 1. dist. 51. can. Sape 28. can. Hic, à quibus, 23. q. 8. c. Ex literis 10. de Excess. Pralat. c. Clerici 5. & c. Sententiam 9. Ne Clerici vel Monach.* Secundò, Assessores, ut colligitur ex *cc. cit.* & qui judici ad ejusmodi sententiam proferendam assistunt, suòque suffragiò, aut consiliò eam promovent, Suarez de Censur. disp. 47. s. 1. n. 4. & Palao Traët. 29. disp. 6. p. 14 s. 1. n. 2. Tertiò, Accusator & Denuntiator, saltem, si accusatione suâ vel

denuntiatione non proprium tantum interesse, sed vindictam publicam intendat, & ex illa rei mors aut mutilatio sit secuta, ut desumitur ex *can. Si quis 8. dist. 50. & supponitur c. Postulasti 21. cit. & c. Pralatis 2. in 6.* Quartò, Advocatus pro accusatore adversus reum: Testes, ex quorum depositionibus reus condemnatur, alique similes, per quos judiciû sanguinis agitur, *can. 1. can. Si quos, can. Hic, à quibus & c. Sententiam cit.* Quintò, Notarius sententiam capitalem scribens, c. *Sententiam cit.* & demum Ministri Justitiæ, eam exequentes, eique in executione cooperantes, *can. 1. can. Hic, à quibus, c. Clerici & c. Sententiam cit.* Navarrus Manual. cap. 27. à n. 208. Covarruvias in Clement. Si Furiosus, p. 2. §. 5. à n. 1. Suarez de Censur. disp. 47. à s. 1. & Laiman Lib. 3. traët. Sp. 3. cap. 7. n. 1.

Ratio autem, homicidio & mutilationi justâ cooperantibus irregularitatem imponendi, fuit defectus Manuetudinis, seu perfectæ Lenitatis Christianæ; quòd Ecclesiæ videretur indecens, in nova Lege ab eo, qui alienum sanguinem voluntariè fuderit, repræsentari personam Christi, mitissimi suumque sanguinem pro nobis fundentis: & incrementum atque immaculatam Deo hostiam offerri, præsertim post exemplum Legis veteris, in qua Deus sibi Templum, non à Davide; quòd multum Sanguinis fudisset: sed à Salomone Rege Pacifico ædificari voluit & consecrari, 1. Paralip. cap. 22. v. 8. S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 3. & Navarrus Manual. cap. 27. n. 205. in fine.

Excipiendi tamen hęc locò sunt Imprimis summus Pontifex, utpote incapax irregularitatis; ut etiam ante supremam illam dignitatem obtentam contracta ipsâ ad istam evectiōe tollatur, ut ex c. *Licet vitanda 6. de Elect.* & ex c. *Ubi periculum 3. eadem Rubr. in 6.* rectè desumit Majorius do

- lus de Irregularit. Lib. 2. cap. 4. pr. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 96. Deinde
15. Inquisitores, eorum Commissarii & Consultores, qui speciali Fidei favore sine culpa & irregularitatis periculo, hæreticos legitime convictos condemnare, ab ipsis contractas pœnas, legibus latas, declarare &, si iudex Secularis sententiæ executionem protraheret; ut rei comburantur, apud eum instare, etiam minitandò, possunt, ex concessione Pauli IV. & Pii V. ut observant Pegna Director. Inquisit. p. 2. comment. 20. Henriquez Lib. 14. cap. 12. n. 5. lit. D. & Palao Tract. 29. disp. 6. p. 14. §. 5. n. 1. Demum Pagani, Judæi, Sarraçeni homini, tam fideli quàm infideli, justè injustè, inferentes necem, eumve mutilantes, cum, quia ad ipsos, tanquam Ecclesiam nondum ingressos, legibus Ecclesiasticis proditæ pœnæ & inhabilitates non porriguntur, 1. Corinth. cap. 5. v. 12. & c. Gaudemus 8. de Divort. tum verò; quia, cum membra Christi & subiecta Ordinum capacia nondum sint, in ipsis locum non habet perfectæ Lenitatis Christianæ defectus vel non consideratur, Suarez de Censur. disp. 40. s. 7. n. 3. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 44. Hæc fati certa.
16. Dubium autem est primò, de Ecclesiarum & Monasteriorum Prælati, obtinentibus jurisdictionem temporalem & ad causas Sanguinis iudices constituentibus: à quibus saltem particularem ejusmodi causam alicui cum clausula, *Ut cognitâ causâ justiciam administraret*, delegantibus perinde ut, si mortis sententiam ipsi proferrent, irregularitatem contrahi suadet Regula, *Quod quis facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum*, quæ est 72. in 6. At non persuadet; quantumvis enim, ejusmodi commissiones generaliter faciendas, existimet Glossa in c. Clericis 5. V. *Aut judicent, Ne clerici vel*

*Monachi*, ab irregularitate tamen etiam, cum particularem ejusmodi causam relato modo committunt, immunes à Bonifacio VIII. pronuntiantur c. *fin. Rubr. cit. in 6.* dummodo delegato non determinatè de mortis aut mutilationis pœna huic aut illi infligenda: sed generaliter de Justitia administranda dent mandatum, Panorm. in c. Clericis cit. n. 12. Covarr. in Clement. unic. p. 2. §. 5. n. 8. Molina Tract. 3. de 7. & 7. disp. 8. n. 2. Laiman Lib. 3. tract. 3. p. 3. cap. 7. n. 4. & alii, monentes, ab allegata Regula exceptionem proditam c. *fin. cit.* ut ibi notat Glossa *fin.*

Dubium secundò est de accusante a 17. liquem criminaliter quidem, sed factâ coram iudice protestatione, à se non vindictam Capitalet & Sanguinis, sed mitiorem pœnam intendi. A quo, an, rei accusati morte aut mutilatione secutâ, irregularitas contrahatur, dubitandi ratio est; quòd agens de crimine civiliter eam non incurrat, si à se non criminis pœnam, sed proprium duntaxat interesse, sive damni illati reparationem intendi, protestetur, c. *Postulasti* 21. & c. *Prelatis* 2. in 6. quò loco ratio ea redditur, ne, si clerici ob metum irregularitatis coqueri non auderent, malis ac facinorosis hominibus præberetur anîa, eos liberè trucidandi, aut bona ipsorum depradandi. Imò à civiliter agente reum, præmissâ protestatione illâ, non solum denuntiari, sed etiam captum iudici tradi aliquando posse, ex c. *Thanos* 19. §. *Ad ultimum*, defumunt *citr.* Covarruvias n. 4. in fine, Suarez disp. 47. s. 2. n. 20. & Barbosa in c. *Prelatis* cit. n. 4.

Sed, licet hæc ita se habeant, alia tamen ratio est accusantis vel denuntiantis criminaliter; ab eo enim, protestatione suâ non obstante, irregularitatem contrahi, cum *citr.* Covarruvia §. 5. n. 1. & Suarez n. 10. docent Laiman cap. 7. n. 6. & Palao Tract. 29. disp. 6. p. 14. §. 2. n. 5. eâ per-

est persuasione; quod talis protestatio sit contraria facto; cum enim regulariter in arbitrio iudicis non sit, reo de capitali crimine convicto, quam vult, sed legibus decretam poenam infligere debeat, secundum S. Thomam 2, 2, q. 66. art. 5. & Suarez Lib. 5. de LL. cap. 11. n. 2. juxta illud Papa Gregorii: *Secundum quod constitutum est, definitiva preferatur sententia, can. Summopere, 11. q. 3.* adversus reum criminis capitalis agens criminaliter ipsam mortem aut mutilationem intendere praesumitur. Contra agens solum civiliter & interponens protestationem, proprii duntaxat interesse persequi mors autem vel mutilatio ex ejus actione per accidens secuta esse, censetur.

18. Rectè tamen hoc loco DD. notant Primò, irregularitatem tantum evitari ab agente civiliter in causa propria, vel suae Ecclesiae, & verisimilius etiam patriae, parentum, liberorum, fratrum & aliorum ipsi ita conjunctorum; ut injuria & damnum in ipsum redundare videatur: non etiam si ita agat in causa personarum extranearum, Covarruvias §. cit. n. 1. V. Undecimò, Suarez §. 2. cit. n. 17. & Laiman n. 5. §. Sunt tamen. Unde eandem non evitat testis, contra reum super crimine etiam civiliter conventum voluntariè deponens, si ex ejus depositione mors aut mutilatio sequatur; ut ei protestatio non profit, secundum eitt. Covarruviam n. 5. & Palao §. 3. n. 2. Secundò; ut eadem irregularitas evitetur, dictam protestationem interponendam expressè, non solum tacitè, c. Pralatio cit. eamque, si non ante vel immediatè post formatam accusationem, saltem ante prolationem sententiae, faciendam, eitt. Covarruvias n. 1. & 2.
20. Tertio, eandem evitari, si reus etiam sine protestatione & criminaliter accusetur coram iudice Ecclesiastico: etiam si ab isto postea Curiae Seculari traditus ad

mortem vel membri truncationem condemnatur, Suarez §. cit. n. 18. & Barbosa in c. Pralatio cit. n. 10. Quartò etiam, 21. si reus criminis non capitalis deferatur ad iudicem Secularem, & ab isto propter id injustè, vel justè quidè, sed propter alia crimina aliunde ad eum delata, condemnatur: nisi ad hanc alia cooperatio accedat, Navarrus Manual. cap. 27. n. 204. & cit. Covarruvias n. 3. not. 9. Ex dictis

Dubium tertium oritur, an ad evitandam irregularitatem sufficiat ejusmodi protestatio ficta, sive expressa quidem verbis, sed cum supplicii Sanguinis desiderio interno. Ratio dubitandi est; quòd, cum ficta protestatio mendax, nec talis sit, qualem exigunt sacri Canones, proficere nequeat ad irregularitatis evitacionem, ut cum Navarro cap. 27. n. 226. exillimat Majolus de Irregul. Lib. 5. cap. 48. §. 6. n. 4. Sed verius, tali quoque protestatione irregularitatem excludi, defendunt, eitt. Covarruvias §. 4. n. 1. Molina disp. 8. n. 4. & Barbosa in c. Pralatio cit. n. 7. Ratio est; quòd, cum ficta protestatio eadem, quae vera apud iudicem fictionis ignarum vi poleat, meritò sicut verè, sic etiam fictè protestans immunis sit ab irregularitate; quia ista, sicut actui sive intentioni merè interna, sic etiam istius solius defectui seu omissioni imposita esse non reperitur & non contrahitur, praeterquam in casibus Jure expressis, c. Is cui 18. pr. de Sent. excommunicat. in 6.

Dubium quartò est de Consulente, 23. A quo, si ad expedienda consilia Criminalia publicè auctoritate constitutus, aut juridicè requisitus sit, ejusque consilio ad ferendam sententiam capitalem iudex permotus, irregularitatem contrahi, plerique facile concedunt. Si autem privatim rogatus, reum secundum Jura vel consuetudinem mortem vel mutilationem commertum, pronuntiet, ab ipso, uti & à Confes-

Confessario iudici, sententiam sanguinis ferre, cum deberet, renuenti abolutionem negante, aut criminis confessionem, quando ad eam in conscientia tenetur, reo suadente, irregularitatem non incurri, cum Hurtado de Irregul. diff. 11. n. 4. censet cit. Palao §. 3. n. 7. & non levis momenti ratio suadet; quia eam non incurrit ex delicto; cum non peccent: neque etiam ex defectu Lenitatis; quia ex istius defectu irregularitatem illi tantum contrahunt, qui publicâ auctoritate ad sententiam Sanguinis concurrunt. Confirmatur; quia incredibile non est, Ecclesiam voluisse irregularitatem à Confessario contrahi propter actionem, ad quam Jure Divino obligat officium clericale.

24. Dubium quintò est de Laico, aspirante ad clericatum, & in foro Seculari deponente contra reum. Quem, si id faciat omnino voluntariè, pro irregulari perinde ferè ut clericum habendum, satis recepta est sententia DD. Si autem id faciat sui iudicis præceptò compulsus, & ipsius depositione mortis aut mutilationis sententia promoveatur, irregularitatem non induci, benigniorem & veriozem sententiam secutus, resolvi ad Lib. 2. Tit. 21. num. 11.

25. Dubium sextò est de Spectatoribus suppliciorum. Hos enim, saltem si clerici sint, pro irregularibus habendos, aliqui DD. desumunt ex c. Sententiam 9. Ne Clerici vel Monach. quò textu Sanguinis iudicio interesse prohibentur. Nihilominus, contra hanc prohibitionem agentes, ab irregularitate cum Glossa fin. in c. cit. & Panormit. n. 6. absolvit Navarrus cit. cap. 27. n. 214. quòd, cum ad supplicii executionem nec proximè nec remotè concurrant, Juris, irregularitatem statuents, dispositione non afficiantur. Unde e cit. textum de præsentia authoritativa, sententia; executioni aliquò modò

cooperantium, interpretatur Gonzalez in c. cit. n. 1. Alii autem DD. licet clericos contra dictam prohibitionem executioni assistentes peccare, & propterea puniri posse, inficias non eant, certam tamen pœnam aut irregularitatem in eos Jure statutam, negant. Imò non desunt, qui ab iis, seclusò scandalò, solum venialiter delinqui, existiment, cum Suarez cit. f. 4. n. 10. Denique Palao, præceptum illud alicubi consuetudine abrogatum videri, ait cit. p. 14. §. 4. n. 2.

Rectè autem cit. Suarez Clericos & Religiosos reis, ultimò supplicio afficiendis, assistentes monet; ut caveant; ne verbò aut factò aliquò accelerent vel promoveant ejus mortem aut mutilationem.

### ARTICULUS III.

## De Homicidio, secuto ex justa Defensione.

### SUMMARIUM.

26. Injustus invasor justè occiditur pro vita sua,
27. Suorumque aut alterius innocentio defensione.
28. Ut hæc justa sit, exigit praviam offensionem:
29. Tuitioem ei avertenda proportio-natam,
30. Et adhibitam in continenti.
31. Quibus servatis, pœna & irregularitas evitantur,
32. Et contrahuntur, si ea non observentur.
33. Etsi hæc non tenetur occisor in vasore, à se injuriâ irritati:
34. Nisi ex ista securura invasionis periculum providerit.

¶

35. Fugere



35. *Fugere valens irregularis est, si invasorem occidat:*
36. *Nisi fuga ei valde ignominiosa foret.*
37. *Irregularis est, qui occidit ob defensionem rerum temporalium:*
38. *Nisi ista leves, atque aliter reparabiles sint:*
39. *Secus, si non leves, aut aliter non valeant recuperari,*
40. *Speclatō Jure & ratione.*
26. **C**erti & explorati Juris est, sui defensionem à natura cuilibet permissam; ut injuriā illatam vim vi propulsare, *can. Jus naturale 7. dist. 1. c. Significasti 18. §. fn. hāc Rubr. c. Si verò 3. de Sent. excom. §. l. 1. C. Unde vi,* & corporis sui tutelam suscipere contra injustum aggressorem valeat etiam, observatō tamen moderamine inculpatæ tutelæ, occidendō, *l. Ut vim 3. ff. de J. & J. ibi, Quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure secisse existimatur, l. Sed & si 5. pr. ff. ad L. Aquil. l. Is qui 2. Ec. C. ad L. Cornel. de Sicar. & Const. Criminal. Caroli V. art. 140.* Ratio est; quia, si hoc leges non permisissent, innoxii & bonæ conscientiæ homines à malis, & iræ, vindictæ aliisque passionibus indulgentibus, passim & liberè invaderentur: cujusmodi invasionum licentia magis perniciofa Reipublicæ est, quàm esse possit facultas, quibus quis potest modis contra injustum invasorem se defendendi, ut post S. Thomam 2. 2. q. 64. art. 7. observant Clarus §. *Homicidium, n. 24.* & alii TT. & JCT. à Farinacio *Prax. Criminal. q. 125. n. 3.* maximò numerò congesti.
27. Neque sibi duntaxat, sed etiam parentibus, uxori, liberis aut aliis conjunctis: imò extraneis quoque innocentibus illatam injustam vim vi repellere, & ob eorum alicujus vitæ defensionem, observatō illò moderamine, occidere licet, *can. Fortitudo 4. can. Si quis 5. Ec. 25. q. 3. c. Dilecto 6. §. Et quidem, de Sent. excom. in 6. l. 1. §. 4. ff. ad L. Cornel. de Sicar. & Const. Carolina art. 150. §. Item so etner:* quod eadem ratione evincitur, & confirmatur lege Divinā, proximum nostri instar diligere; ac proinde de salute periclitantem, quibus possumus & nos solemus, modis defendere præcipiente, *Levit. cap. 19. v. 34. & Matth. cap. 22. v. 39.* Sicut & exemplò Moysis ob cujusdam Hebræi è fratribus aut cognatis suis defensionem virum Ægyptium interficientis, *Exodi cap. 2. v. 11.* & propterea à Spiritu sancto per os S. Stephani laudati *Actor. cap. 7. v. 24.* Clarus §. *cit. n. 27.* & Farinac. *cit. q. 124. an. 267.*
- Tutelæ autem sive defensionis inculpatæ moderamen, ut, qui occidit, observasse, juxta *cit. art. 140.* censeatur, à Claro §. *Homicidium cit. n. 34.* & Gaill. *Lib. 2. observat. no. à n. 13.* requiruntur tria. Primum est causa, quæ est offensio injusta, ut scilicet ab occiso quis injustè fuerit invasus; non enim esse potest justa defensio, quam injusta offensio non præcessit, Suarez *de Censur. disp. 46. §. 1. n. 7.* *Invasus*, inquam, non etiam percussus; quia invadentis ictum & percussorem antevertere, & occidendi animò ferrum stringentem, scloppum expedientem &c. præoccupandò & interficiendò in tempore sibi prospicere quis potest, *l. Sed est 5. pr. ff. ad L. Aquil. l. Si quis 3. Ec. ff. ad L. Cornel. de Sicar. & art. 140. cit. Clarus §. cit. n. 33.* & Farinac. *q. 125. n. 74.* Alterum Modus sive; ut defensio offensionis avertendæ sit proportionata, *c. Ut fama 35. ibi, Dum tamen non amplius eorum violentia se extendat, quàm defensio exigat, de Sent. excom. §. l. Scientiam 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. &c.* cum illata vis pugnò aut baculò, vel aggressorem exarmandò,

mandò, fugandò, humi prosternendò aliòve simili modò averti ac vinci potest, non statim mors inferatur. Tertium est  
 30. Tempus sive; ut defensio fiat in continenti, l. *Quod est* 3. §. 9. ff. de *Vi armata* & e. Si verò 3. ibi, Si in continenti vim vi repellat, de *Sent. excom.* hoc est, in invasione & ipsa concertatione: non ex intervallo, ut aggressor vim ponens, fugiens aut jam exarmatus percutiatur & occidatur, ut rem hanc latè explicat Farinac. q. 125. à n. 336. ex communi DD. sensu & rectè monens, in praxi, an hæc tria, ac proinde inculpatæ tutelæ moderamen in invasoris cæde observatum sit, prudentiæ & arbitrio iudicis relinquendum.

31. Sicut autem ob sui luorumque, aut etiam extranei innocentis, defensionem cum dicti moderaminis observatione perpetrata invasoris cædes vacat culpâ, sic ab omni poena est immunis, per textus & DD. cit. nullâque inducit irregularitatem, *Clement. Si furiosus cit. ubi* Panormit. n. 10. Covarruvias p. 3. §. *Unie. n. 1.* & 5. Barboia à n. 14. Suarez de *Censur. disp. 46. s. 1. n. 4.* & 7. & alii ab his relati. Ratio clara est; quia talis irregularis esse nequit ex delicto; cum cædes culpâ vacet: neque etiam ex defectu Lenitatis; quia hæc non deficit in eo, qui occidit ex mera necessitate iustæ defensionis.

Neque, ut aliqui autumant, aliud defumitur ex *can. De his 6. & can. Si quis 8. dist. 50.* quibus locis homicidii ob defensionem commissi rei à susceptione & usu Ordinum repelluntur: & ex Concilio Tridentino, cum eo, qui ut morte se liberaret, vim vi repellendò occidit, dispensandi facultatem loci Ordinario committentis, *Sess. 14. cap. 7. de Ref.* quia textus isti omnes exaudiendi sunt de defensione non necessaria, incauta, & iure præscripti moderaminis limites excedente: ut de an-

tiqui Glossa *fin. in can. De his cit. & in can. Si quis cit. V. Defensione*: de novissimi autem Juris textu cit. Suarez n. 3. & aliis relatis Barboia de *Offic. & potest. Episc. alleg. 39. n. 54.* advertunt, & colligitur ex eo; quòd *Clement. Si furiosus cit.* non inducatur Jus novum: sed antiquum solummodo declaretur: & à Clemente Papa declaratum corrigere vel revocare novamque irregularitatem introducere, non intenderint PP. S. Synodi cit.

Quando autem in vasus aggressorem 32. occidendò inculpatæ tutelæ limites, quoad Causam, Modum aut Tempus, est egressus, sicut contrahit irregularitatem, juxta tres textus & DD. proximè cit. sic etiam obnoxius est gravi poenæ: non quidem Ordinariæ, *L. Cornelia*, sive mortis, l. 1. *Et. ff. & C. ad L. Cornel. de Sicar.* sed extraordinariæ, secundum qualitatem excessus, *arg. l. Si adulterium 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de Adul. ut habetur cit. Constit. Caroli V. art. 142. §. fin.* scilicet carceris, relegationis perpetuæ vel temporalis, multæ pecuniariæ, vel alterius similis, juxta qualitatem excessus mitigandæ vel exasperandæ, *Clarus §. cit. n. 34.* Farinac. q. 125. cit. à n. 396. Ex hætenus dictis oritur dubium triplex

Primum de eo, qui ob sui defensionem 33. occidit aggressorem, quem ad se invadendum injuriâ, v.g. contumeliosis verbis, insidiâ alapâ, stuprò ejus filia vel uxori illatò irritavit. Ratio dubitandi est; quòd ipsum propterea occidere parans sit injustus aggressor: quem declinare aliter non valens interficiendò, sicut quoad hoc à culpa: sic etiam ab irregularitatis poenâ probabiliter excusatur. Ita Sylvester *V. Homicidium 8. q. 4.* & Sotus *Lib. 5. de Justit. q. 1. art. 9.* quorum doctrinæ licet locus sit, quando illatam injuriam, necis sibi intentandæ periculum allaturam, non potuit prævidere.

R 2

Casu ta-

34. Casu tamen, quò hujusmodi periculum prævidere rationabiliter potuit ac debuit, sic irritati aggressoris cædes vel mutilatione irregularitatem contrahi, verius est, & cum Navarro *Manual. cap. 27. n. 238.* docent Gutierrez *Canon. 2. Lib. 2. cap. 6. n. 43.* Suarez *cit. n. 12.* & Molina de *J. & J. Tract. 3. disp. 72. n. 5.* Ratio est; quia, esto, homicidium illud in se & immediatè, sive quatenus habet rationem defensionis, injustum non sit, injustum tamen est in causa, quam ponens reus est homicidii, saltem casualis, irregularitatem inducentis, quoties ad id cavendum debita diligentia non adhibita, ne dicam, injusta, ejusque periculum inductiva actio malitiosè posita fuit, ut infra declarabitur.

35. Alterum dubium est de occidente invasorem, à quo illatam vim declinare potuisset fugiendò: quem cum Glossa in *Clement. cit. V. Non valens*, irregularem absolute pronuntiant Sylvester *V. Homicidium 3. q. 3.* Navarrus *cap. cit. n. 211.* & alii DD, relatis Barbosa in *Clem. cit. n. 23.* id defuentes ex *Clem. cit.* textu, ab irregularitate absolvente occidentem, qui aggressorem aliter non potest declinare: quod potest is, de quo est sermo.

Nihilominus, & non malè, alii dubitationem hanc resolvunt auxiliò distinctionis; Vel enim fugere potest sine infamia & gravi dedecore, ut homines plebei, Clerici & Religiosi; & occidendò eum irregularem fieri, facillè concedunt: quòd respectu ejus cædes non sit necessaria ad vitæ defensionem; & propterea eam fugæ præferens à culpa non excusetur coram Deo. Vel sine ejusmodi gravi nota fugere nequit, ut milites & viri nobiles seculares, quibus fuga aggressoris est publicè ignominiosa? & irregularitatem ab eo non contrahi, cum Covarruvia *cit. p. 3. §. Unic. n. 1. & 4.* verisimiliùs de-

ferunt *cit.* Suarez *f. 1. n. 5. Coninck disp. 18. dub. 6. n. 90.* & Bonacina de *Censur. disp. 7. q. 4. p. 6. n. 4.* Ratio est; quia hujusmodi cædes non solum immunis à culpa, sed moraliter necessaria est ad vitæ defensionem; cum enim boni nominis & exultationis integritas & vita quodammodo æquiparentur, *l. isti 8. §. 2. ff. Quod metus causa & l. Justa 9. pr. ff. de Mammiff. vindict.* vito nobili, & præsertim militari, non minor imò major esse solet illius, quàm istius jactura; ac proinde moraliter mortem, quàm infamiam præfert, evitare aliter non valet, quàm occidendò, in eoque locum habet dispositio *Clement. cit.*

37. Tertium est de homicidio, patrato ob defensionem rerum suarum temporalium. Eò enim irregularitatem contrahi, Sylvester *V. Homicidium 2.* Navarrus *cap. 27. à n. 211.* Gutierrez *cit. cap. 6. n. 6.* & Molina *disp. cit. n. 3.* & alii DD, volunt, permoti textibus *Imprimis Clem. cit.* ab irregularitate solummodo excipientis eum, qui invasorem occidit ob defensionem vitæ. Deinde *c. Suscepimus 10.* ubi latronem furantem occidens irregularis pronuntiat, eaque ratio redditur; quòd expediret, post tunicam relinquere pallium, & rerum jacturam facere potius quàm interficere pro earum conservatione. Demum *c. Significasti 18.* quò loco clericus, pro defensione rerum Ecclesiæ latronem percutiens, irregularis judicatur, si ab eo inflictum vulnus fuerit lethale. Pro eadem Opinione facit non levis momenti ratio; quia lex & ordo Charitatis exigit; ut bonis propriis proximi vita tanquam æstimabilior præferatur; ut notabilis defectus Lenitatis sit, hanc adimere pro illorum conservatione.

Ita isti & verè, si levis momenti res 38. invadantur, vel invasor arceri aliâ ratione, vel ab eo subtractæ res viâ Juris valeant

leant recuperari; cum enim pro levis momenti aut facile recuperabilium rerum defensione perpetrata cædes non vacet culpâ, etiam à pœna, aliquando etiam homicidarum ordinaria, & ab irregularitate immunis non erit, Farinac. cit. 9. 125. n. 2; 8.

39. Casu autem, quò magni momenti & aliter non recuperabiles res ac bona invaduntur, pro eorum defensione invaloris cædem imprimis licitam, cum Claro §. cit. n. 25. Covarruvia §. *Unus*, cit. n. 6. Farinac. n. 168. & ab hoc relatis aliis verisimilibus censent cit. Suarez f. 2. n. 7. & desumitur ex l. 1. C. *Unde vi*, defensionem rerum permittente generaliter & sine restrictione; ac proinde etiam ad eam necessariam interemptionem invaloris; cum permisso aliquò permissa videantur omnia ea, sine quibus id nequit obtineri, arg. c. *Præterea* 5. de *Offic. deleg. l. Cuius iurisdictio* 2. ff. de *Jurisdict. l. Quod est* 3. §. 9. ff. de *Vi armata*, cujus vigore invalor possessionum vi & armis repelli & debito moderamine observato, occidi impunè potest, l. *Furem* 9. ff. ad l. *Cornel. de Sicar. & Constit. Carolinæ art. 150. circa pr.* Ratio est partim; quòd res & bona alter hominis sanguis & vita esse dicantur, propter sumam eorum necessitatem ad hanc conservandam; & propterea metus amissionis omnium bonorum metui mortis æquiparetur à Glossa passim recepta in l. *Advocatus* 14. C. de *Advocat. divers. judic. & Tiraquello de Nobilit. cap. 31. à n. 364.* partim verò; quòd, si ejusmodi rerum ac fortunarum defensio non esset licita, homines improbi ad illas diripiendas frequenter & liberè moverentur.

Deinde, eodem casu invaloris cæde irregularitatem non contrahi, cum cit. Covarruvia n. 6. ad finem & Suarez à n. 4. Lessio *Lib. 2. de l. & l. cap. 9. n.*

73. & aliis rectè defendunt Barbosa in c. *Interfecisti* 2. n. 4. & Gonzalez in c. *Si perfodians* 3. n. 11. arg. c. *Quia te* 35. dist. 50. ubi ab Urbano II. ab impedimento Canonico immunis pronuntiat, qui occidit ob defensionem libertatis. Unde inferitur, id non sola vitæ defensione evitari. Ratio est; quia irregularitas, quæ ejusmodi cæde induceretur, neque esset ex delicto; cum, juxta jam deducta, culpâ vacet: neque ex defectu lenitatis; quia ob istius defectum irregularitas solum contrahitur, quando auctoritate publica, hoc est, in bello justo aut vi sententiæ judicialis homo occiditur vel mutilatur.

Neque ab adversa parte allegati textus, etsi difficiles sint, aliud evincunt; quia imprimis in pœnalibus & irregularitatibus vim non habet argumentum ductum à contrario, per tradita à Barbosa *Loc. argument. Juris* 27. n. 28. & 39. ut proinde vi careat illatio eò facta, ex *Clem. cit.* Deinde c. *Suscipimus* cit. monachus non observavit moderamen inculpatæ tutelæ, ut colligitur ex verbo *Exardecere*, & ex eo etiam; quòd occiderit, rebus furtivis jam recuperatis: & recuperatas aliò transferendò absque vitæ suæ & ipsarum periculo servare potuisset, antequam latrones solverentur, ut rectè advertunt cit. Covarruvia n. 6. & Suarez n. 10. Idem moderamen c. *Significasti* cit. non observatum à Presbytero, qui lethale vulnus inflixit propter furtum, ex ipso textu, & inde quoque constat; quòd hoc aliter & sola vociferatione impediri potuisset; cum, ipso clamante, statim accurrerint parochiani, ut idem notat n. 11.

Minus, quàm textus, urget ratio, quia lex & ordo Charitatis solum obligat ad vitam proximi bonis nostris præferendam, quando is versatur in extrema vel

R ;

gravi

gravi necessitate: extra quam constitutus utique est, qui in vitæ periculo omnino liberè, malitiosè & cum injuria nostra verfat; cum, si, quâ opus est, vi in rebus suis vim inferentem repellere, dominis licitum non esset, furibus & latronibus præberetur anfa, quemlibet invadendi, & rebus suis expoliandi, ut supra est insinuatum.

## ARTICULUS IV.

## De Homicidio, facto in Bello justo.

## SUMMARIUM.

41. Bellum aliud Defensivum, aliud Offensivum est.
  42. In utroque, si justum, cædes hostium militi licite sunt.
  43. In Defensivo occidens clericus ab irregularitate est immunis.
  44. Nisi laici sufficiant ad defensionem.
  45. Irregularis est, qui occidit in Offensivo.
  46. Et qui in injusto militas hortatur ad pugnandum.
  47. Secus, si hoc faciat in bello justo.
41. **J**ustum sive licitum bellum generatum est, quod geritur propulsandorum hostium causâ, *can. Justum 23. q. 2.* estque vel Defensivum, quod vis atque injuria vi repellitur: quod non solum publicâ, sed privatâ quoque autoritate Jura omnibus permittunt, *l. Ut vim 3. ff. de I. & I. l. Is, qui aggressorem 3. C. ad L. Cornel. de Sicar. c. Significasti 18. §. Quod si, hæc Rubr. & c. Si verò 3. de Sent. excom. vel Offensivum sive aggressivum, quod publicâ Principis vel alterius supremi Magistratûs autoritate, *can. Quia cul-**

*patur, 23. q. 1.* ad illatam injuriam vindicandam, sive ad ejus satisfactionem, rerum ablatarum recuperationem & damnorum compensationem, cum aliter non valet, obtinendam, *can. 1. & can. Dominus 2. ibid. q. 2.* ac proinde salutis & incolumitatis Republicæ & pacis causâ suscipitur, *can. Noli, q. 1. cit. S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 1. Victoria Relect. de Jure belli n. 13. & Laiman. Lib. 2. Tract. 3. cap. 12. n. 4. & 5. ut Lib. 1. tit. 43. à n. 4. est dictum. Quò præmissò*

Convenit inter DD. primò, omnibus, qui in bello justo, tam Offensivò quàm Defensivò, pugnant, secundùm justum mandatum & voluntatem ducis, sicut agrorum vastationem, occupationem, everisionemque pagorum & oppidorum, hostiumque spoliationem; sic etiam nocentiù cædes licite esse; hoc ipsò enim; quò ad vindictam & satisfactionem injuriæ, rerum ac damnorum reparacionem licitum sit bellum, licita etiam sunt media necessaria ad hoc gerendum, puta vastationes, occupationes, prædationes & cædes, quas ad nutum & voluntatem ducis sui milites, tanquam vindictæ à Principe aliòve Magistratu supremo decretæ ministri, exequentur, Suarez de Charitate disp. 13. f. 5. n. 7. Molina Tract. 2. de I. & I. disp. 117. concl. 1. & 2. Laiman. cit. cap. 12. n. 9. & alii; ut cit. Tit. 34. n. 11. est dictum.

Convenit secundò, irregularitatem, tam à Clericis quàm à Laicis, non contrahi homicidio & mutilatione, factis in bello justo merè Defensivo & necessariò suscepto ad Ecclesiæ vel patriæ defensionem, ut ex *c. Pervenit 2. de immunit. Eccles.* colligunt Suarez de Censur. disp. 47. f. 5. n. 1. & Coninck disp. 18. dub. 10. n. 96. Ratio est; quia defensio Ecclesiæ & patriæ non minus, imò magis favorabilis est, quàm propriæ vitæ aut alterius

serius personæ privatæ, l. Utilitas 3. C. de Principio, pro cuius necessaria defensione factam eadem irregularitati obnoxiam non esse, dictum est n. 31.

44. Dixi, *Necessarium*, qualis defensio in ejusmodi bello est, si laici non sufficiant ad hostem propulsandum, c. *Provenit cit.* si enim hi soli sufficiant, clerici propriis manibus occidendò vel mutilandò contrahunt irregularitatem, ut colligitur ex c. *Petitio 24.* & ibi tradunt Barbosa n. 2. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 115.

45. Convenit inter eosdem tertio, irregularitatem contrahi ab iis, qui in bello Offensivo etiam justo ipsi aliquos mutilant vel occidunt, can. 1. dist. 51. & c. *Petitio 24.* Panormit. in c. cit. n. 1. Navarrus Manual. cap. 27. n. 215. Suarez de Censur. disp. 47. s. 6. n. 6. & Barbosa in c. cit. n. 2. & multò magis, si bellum sit injustum. Imò in hoc irregulares evadunt etiam, qui ad cædes & mutilationes perpetrandas milites in hostem animandò, simul pugnandò, sarcinas custodiendò &c. cooperantur: quantumvis ipsi propriis manibus neminem mutilent vel occidant, can. *Si quis 4. dist. 51. c. Sicut 6. s. fin. hanc Rubr. & c. Quod in dubiis 5. de Pœnis*, Panormit. in c. *Sicut cit. n. 10.* Speculat. Tit. de Dispensationibus s. 4. 2 n. 5. & Barbosa in c. *Petitio cit. n. 36.* Unde

46. Dubium oritur de Clericis, in bello justo Offensivo milites animantibus, & præsertim simul pugnantibus: à quibus irregularitatem contrahi, aliqui desumunt partim ex s. fin. & c. *Quod in dubiis cit.* quorum textuum prioris, qui consiliò: posteriori, qui in conflictu navem dirigendò & milites animandò ad cædes cooperati sunt, pro irregularibus habentur: partim; quòd in ejusmodi bello propriis manibus pugnare clericis sit interdictum,

can. Clerici 4. can. *Quicumque 5. Et. 23. q. 8. & c. Ex multa 9. s. fin. de Pœno.*

Nihilominus, tam pugnantes quàm hortantes, ab irregularitate, cum Panormit. in c. fin. de Clerico percuss. n. 1. & Navarro cit. n. 215. meritò absolvent Covarruvias in Clement. Si furiosus p. 2. s. 3. n. 2. Molina Traët. 2. disp. 110. conclus. 2. & Palao Traët. 29. disp. 6. p. 14. s. 5. n. 2. id argumentò à contrario ductò inferentes ex c. *Petitio cit.* ubi in ejusmodi conflictu pugnans Sacerdos à celebratione abstinere solummodo jubetur, si conscientiam habeat, aliquem à se occisum. Rationem reddunt; quòd soli militum adhortationi, uti & ejusmodi pugnae societati irregularitas nullibi decreta: neque conveniens fuerit, eam decerni; ne ejus contrahendæ metu nimis multi à bellis justis abstraherentur.

Neque obstant *cc. cit.* quia utroque agitur de bello vel pugna injusta, ut liquet ex prioris textu, & posterioris Glossa ostendit. Accedit; quòd ejus textu non irregularitas, sed suspensio per sententiam infligenda decernatur, ut rectè observant *cit.* Suarez cit. s. 6. n. 10. & Palao s. cit. n. 3.

Neque etiam ratio sive; quòd clerici in bello Offensivo, uti & Defensivo, quando id ad defensionem necessarium non est, propriâ manu pugnare prohibeantur; quia inde non inferitur, pugnantes, licet ipsi non occidant, evadere irregulares; quia sola pugnae societate in bello justo irregularitatem contrahi, ullo Jure non est expressum: irregularitas autem non contrahitur, nisi in casibus Jure expressis; c. *Is qui 18. pr. de Sent. excom. in 6.*



ARTI.

## ARTICULUS V.

## De Homicidio Voluntario Injusto.

## SUMMARIUM.

48. Ista pena Capitalis Divinò,  
 49. Et Civili Jure imposta est.  
 50. Jure Canonico ejus reus laicus excommunicatur:  
 51. Clericus ab Ordine & ab officio deponitur.  
 52. Et inhabilis redditur ad beneficia obtinenda.  
 53. Eòdem homicidio contrahitur irregularitas:  
 54. Qua etiam procuracione abortus factus animati,  
 55. Et mutilacione voluntaria incurritur.  
 56. Eadem ratio est homicidium mandantis:  
 57. Nisi mandatum in tempore sit revocatum:  
 58. Id consentientis,  
 59. Etiam consilio revocato:  
 60. Et suo consensu promoventis.  
 61. Irregularitatem homicidii ratione oblatione incurri, asserentium,  
 62. Et negantium vera Opinio.  
 63. Eandem contrahit ad homicidium cooperans;  
 64. Quantumvis de occisore constet:  
 65. Uti & non impediens, si ex Justitia:  
 66. Non etiam, si ex sola Charitate id impedire tenebatur.
48. **H**omicidium contra Charitatem & Justitiam voluntariè perpetratum, tanquam atrox & ab omni humanitate alienum crimen, sacri prophanique legum Condi-

tores ubique gentium plurimùm detestati, & severissimã animadversione coercere conati semper sunt. Et Divinis quidem legibus homicidæ morte multati sunt in Veteri, *Quicumque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius Genes. cap. 9. v. 6. Qui percusserit & occiderit hominem, morte morietur, Levit. cap. 24. v. 17.* Et in Novo etiam Testamento, Omnes, qui gladium acceperint eoque percusserint, gladio peribunt, *Matth. cap. 26. v. 52. & Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi, Apocalyp. cap. 13. v. 10.*

Legislatorem supremum & humani sanguinis ultorem Deum imitata est humana potestas Secularis, & in ejusmodi voluntarii homicidii reos ultimi supplicii sive mortis naturalis penam constituit, §. Item lex Cornelia §. Insit. de Publ. judic. l. Unic. pr. V. Et merito, C. de Raptu Virg. l. Quoniam 6. C. ad L. Jul. de Vi publ. Sc. discrimine aliquò inter Nobiles & Plebeios olim constituto, l. Eiusdem 3. §. 3. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Quod tamen sublatum est Jure posteriori, l. Nemo 3. ibi, Homicida, quod fecit, semper expectet, C. de Episc. audient. & præsertim Constitutione Penali Caroli V. art. 37. & 137. Clarus §. Homicidium, n. 18. & Haunold. Tom. 6. de I. & I. tract. 2. n. 267. Quæ pena, si homicidium simplex in rixa factum sit, inferri passim solet gladio, Idem cit. n. 267. Si verò qualificatum & per Insidias, Assassinium, Proditionem, Sacrilgium &c. perpetratum sit, exasperari solet secundum Constit. Carolinam cit. ut infra ab Art. 7. pluribus tradetur.

Ex Juris autem Ecclesiastici dispositione homicida Imprimis, si laicus sit, incurrit penam excommunicationis, per sententiam infligendæ, *can. Itaque 24. q. 3.* quò textu de homicidis solum laicus sermone

- fermonē esse, ex *can. Presbyter 12. dist. 81.* potest ac solet defumi: Clericus autem ab Ordine & officio deponendus, *can. Presbyter cit. c. Inquisitionis 21. pr. de Accusat. & c. Sicut 6. §. fin. hęc Rubric.* & in arctum Monasterium (cujus locō hodie ad carceres vel triremes condemnatio in usu est Farinac. *Prax. Criminal. q. 119. n. 49. & 55.*) detrudendus est, *can. Si Episcopus 7. dist. 50. & c. Tua 6. de Penit.* Farinac. *q. cit. n. 48.* Nisi crimen iteraretur; talis enim gravius plectendus: & si incorrigibilis evaderet, degradatus tradendus esset Curie Seculari, *c. Cum non ab homine 10. de Judiciis.*
- §2. Interpp. ac DD. in *c. cit.* Deinde, inhabilis fit ad beneficia Ecclesiastica obtinenda, secundum Trident. *Sess. 14. cap. 7. de Reformat.* Antē autem legitime obtentis privandum quidem, non tamen ipsō Jure & perpetrati homicidii factō clericum privari, docent Clarus *§. cit. n. 21.* Garcias *p. 11. de Benef. cap. 10. n. 39.* Suarez de *Censur. disp. 44. s. 4. n. 33.* & Farinac. *cit. q. 119. n. 158.* Quod licet verum sit, nihilominus, si beneficium præter horarum Canonicarum recitationem exigit personale exercitium Ordinis sacri, & super irregularitate mox referenda dispensationem petere nolit, vel non possit impetrare, id renuntiandō dimittere, in conscientia tenetur, ut cum Panormit. in *c. Nisi cum pridem 10. de Renuntiat. n. 1.* & Covarruv. in *Clement. Si furiosus p. 2. §. 3. n. 7.* rectē advertit
- §3. *cit.* Suarez *disp. 40. s. 2. n. 19.* Demum contrahit irregularitatem; ut, quantumvis homicidium sit occultum, etiam post peractam poenitentiam Ordines suscipere, & in susceptis ministrare nequeat sine dispensatione, *can. Minor 4. can. Clericum 5. & c. dist. 50. c. Inquisitionis cit. c. Sicut 6. c. De catero 7. & c. hęc Rubric.*

Eadem irregularitas etiā contrahitur per procuracionem abortūs, si foetus jam fuit animatus, *c. In aliquibus 5. & c. Sicut 20.* Animatus autem foetus ex Physicorum & Medicorum communi sententia masculus quadagesimō, femineus autem octogesimō die à conceptione ex eo, quod frequentius contingit, præsumitur, per tradita à *cit.* Farinac. *q. 122. à n. 139.* Gomez *Lib. 3. Var. cap. 3. n. 32.* Menoch. *de Arbitr. casu 357. n. 3.* & Barbofa in *Sum. dist. 5. n. 2.* & aliis.

Idem Ordinum impedimentum etiā incurritur per voluntariam mutilationem sive truncationem membri alieni; hæc enim quoad irregularitatem homicidio æquiparatur; ut quibus casibus illa homicidio, iisdem & mutilatione inducatur, quod in *Clement. cit.* Regulæ instar tradit Glossa *V. Mutilet*, Panormit. *n. 6. cit.* Covarr. *p. 3. pr. n. 8.* & Barbofa *n. 27.* & alii, id deluentes ex *Clement. cit. can. fin. dist. 55. c. Clericis 5. Ne Clerici vel Monach. c. In Archiepiscopatu 4. de Raptor. & c. fin. hęc Rubr. in 6. Alieni*, inquam; quia ad irregularitatem mutilatione sui-ipsius contrahendam sufficit abscisso partis minus notabilis, quàm est membri, v.g. unius digiti aut etiam articuli istius, *can. Qui partem 6. dist. 55.* quod Jure specialiter constitutum est ad vindicandam injuriam Creatoris & sævitiam, violentam manum sibi ipsi temerè inferentis, *can. Si quis 4. & c. dist. cit. ut dictum Lib. 1. tit. 20. n. 18.*

Porro, ut irregularitas hætenus declarata contrahatur, necessarium non est; ut quis per se ipsum: sed sufficit, quod per alium mutilet, occidat, vel abortum procuret. Unde eam contrahunt Primò mandans, si ex mandato intimato homicidium, abortus, aut mutilatio sit secuta, *can. Si quis viduam 8. dist. 10. & c. fin.*



*& c. fin. cit.* Ratio est; quòd mandans actum aliquem istius moralis ac principalis: mandatum autem exequens minus principalis & in genere moris quasi instrumentalis causa sit; ut proinde in eo, qui alterius cædem mandat, quoad irregularitatem & alias homicidarum pœnas omnino locus sit Regulæ, *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum* quæ est 72. in 6. & l. *Nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat* 15. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Navarrus *Manual. cap. 27. n. 233. cit.* Gomez *cap. 3. n. 39.* & Suarez *disp. 44. s. 3. n. 6.*

57. Neque refert; quòd ante cædem perpetrata mandatum sit revocatum, si revocatio ante illam mandatario non sit inlinuata; quia iste, quamdiu revocationem ignorat, agit nomine mandantis: qui proinde causa moralis & principalis est homicidii subsecuti. Aliud esset, si revocatione jam sibi intimatâ mandatarium nihilominus occidisset; cum enim tali casu ex voluntate mandantis mandatarium non operetur, suò, non illius nomine censetur occidisse. Ita cum Innocentio in c. *Ad audientiam* 12. & Navarro *cit. n. 233. cit.* Suarez *n. 7.* Diana *p. 2. Tract. 2. Miscell. resol. 17.* Barbosa in c. *fin. cit. n. 9.*

58. Secundo, consulens, sive homicidium, abortum, mutilationem rationibus persuadens, ut clarè habetur *can. Si quis viduam cit. ibi, Præcepto aut consilio, c. Sicut cit. §. Qui verò & §. fin. ibi, Qui consilium dederunt, & c. fin. de Cleric. pugnans.* Ratio est; quia cædem consilio persuadens ejus vera & moralis causa est, *can. Perniciosè 23. dist. 1. de Pœnit. & c. fin. cit.* quibus textibus homicidæ fieri, & perpetrari homicidia dicuntur consilio. Istò tamen; ut irregularitas inducatur, homicidium aut mutilationem ex consilio, & reipsa sequi est

necessè; quia regulariter irregularitas homicidio non incurritur, nisi hoc sit opere consummatum, aut aliud Jure sit expressum, Covarruvias *cit. p. 2. §. 2. n. 1.* Suarez *s. 3. cit. n. 6.* & Barbosa in c. *fin. cit. in 6. n. 7.*

59. Neque irregularitas, sicut à mandante per mandati, sic etiam à consulente per consilii revocationem intimatam evitatur, si consilii vi & rationibus ad homicidium aut mutilationem vel animati foetus abortum procurandum inductus à proposito non impediatur. Ratio est; quia consulens etiam tali casu verè causa moralis est homicidii & c. subsecuti; & propterea consilio suo aliquem, præsertim aliàs nolentem, ad delictum inducens, ejus, quod suavit, & ex ejus consilio secutum est, delicti pœnâ regulariter tenetur per ea, quæ tradit Suarez *s. 3. cit. n. 10.* & latè Farinacius *q. 129. à n. 23. & 26.*

60. Tertio, consentiens, consensu non qualicumque, sed efficaciter influente in cædem, abortum, mutilationem, v.g. occidenti cooperando, ei assistendo, robur aut animum addendo, ejus occidere volentis propositum approbando, vel ab eo occisum aut mutilatum, ne se defendant, impediendo, ut colligitur ex c. *Sicut cit. §. Illi & c. Significasti* 17. ibi, *Si ipsius studio vel mandato processerint alii,* Suarez *s. cit. n. 31.* Farinac. *cit. q. 131. à n. 67. & n. 132.* Barbosa in §. *illi cit. n. 11. & 14.* Hæc satis certa.

61. Dubium autem primò est de ratihibitione homicidii & c. suo nomine sive in sui gratiam perpetrati. Hæc certè solâ irregularitatem contrahi, cum Felino in c. *Sicut cit. n. 12.* & Navarro *cit. n. 233.* existimat Molina de I. & I. *Tract. 3. disp. 33. memb. 4. n. 3.* eâ permotus ratione; quòd ratihibitio retrorahatur, & mandato comparetur, *Reg. 10. in 6.* etiam in inelictis

in delictis l. 1. §. 14. ff. de Vi armata, gravissimis quoque, ut sunt Simonia, c. Sicut 33. ibi, Nisi postea consenseris, de Simonia, & percussio clerici: quam suo nomine factam, ratam habens, excommunicationem Canonis incurrit, c. Cum quia 23. de Sent. Excom. in 6.

62. Sed melius, ejusmodi ratihabitione irregularitatem contrahi, cum Glossa in can. Si quis viduam cit. negant Covarruvias in Clement. cit. p. 2. §. 1. n. 4. Suarez cit. f. 3. n. 24. & Laiman, Lib. 3. tract. 3. p. 3. cap. 4. n. 6. partim; quod irregularitas ista non contrahatur, nisi per concursum ad eadem vel mutilationem liberè factum: ratihabitio autem homicidii, hoc ipsò, quod eò jam perpetrato, & saepe omnino ignorato sit posterior & fortassis nunquam futura, ad illud sic concurrere non possit: partim verò; quod ex una, irregularitas non contrahatur, præterquam in casibus Jure expressis, per Regulam c. Is qui 18. pr. de Sent. excom. in 6. Navarrum Manual. cap. 27. n. 192. Covarruviam in Clement. cit. p. 1. pr. à n. 3. cit. Suarez disp. 40. f. 4. à n. 8. & alios relatos à Barbosa in c. Is qui cit. n. 4. ex altera verò parte, nullum extet Jus, quò ejusmodi ratihabitioni irregularitas imponatur. Propter hanc rationem irregularis etiam non evadit, qui homicidiam post eadem jam perpetratam recipit, occultat, defendit, aut ei aliquid donat, ut cum aliis rectè advertit Zoësius ad hanc Rubr. n. 22.

Neque obstat Regula aliquæ textus cit. quia, licet ratihabitio mandato æquiparetur quoad culpam, non tamen huic æquiparatur quoad irregularitatem, quæ, ut dictum, non incurritur, nisi in casibus Jure expressis. Neque refert; quod mandato comparatur quoad pœnam percussionis clericorum, c. Cum quia cit. quia istius textus dispositio, eò ipsò;

quod sit pœnalis, odiosa & extendenda non est ad casum non expressum, per Reg. Odis 15. & Reg. In panis 49. in 6. & tradita à Barbosa in c. Is, qui cit. n. 4.

Dubium secundò est de cooperanti- 63. bus ad eadem: à quibus, si abique eorum cooperatione mors certò non fuisset secuta, irregularitatem contrahi, patet ex dictis, Casu autem, quò, v.g. in rixa subito coorta, pluribus inturgentibus contra aliquem, iste interficitur ab uno, occidendus, licet reliqui cooperati non fuissent, nonnulli distinguunt: & quidem si occisor ignoretur, omnes, sicut pro homicidis l. Item Mela 11. §. 2. ff. ad L. Aquil. sic & pro irregularibus habendos, desumunt ex c. Significasti 18. §. Quodsi & ex can. fin. junctà Glossà V. Quicumque, 23. q. 8. cit. Suarez disp. 45. f. 3. n. 11. & alii relati à Barbosa in c. Significasti cit. n. 9. Si verò de occisore constet, cæteros, qui, licet percusserint, lethale tamen vulnus non inflixerunt, ab irregularitate absolvit Covarruvias p. 2. cit. §. 2. n. 3. V. Secundus; quod tali casu de homicidio teneatur tantum unus, §. 2. cit. & propterea c. Significasti cit. presbyter ab irregularitate immunis pronuntietur, si vulnus, quod ab aliis, scilicet parochianis, occiso ipse inflixit, constet non esse lethale.

Sed multò verisimilius cum cit. Glossa pro irregularibus etiam cæteros habent, Navarrus cit. cap. 27. n. 124. V. Decimò Henriquez Lib. 14. cap. 17. n. 2. & Suarez disp. 45. f. 3. n. 9. quos sequuntur Palao Tract. 29. disp. 6. p. 15. §. 6. n. 4. & Zoësius l. cit. n. 26. Ratio est; quia tales occisori favorem & auxilium præstando, occisum autem suà aggressione impediendo, & à sui adversus illum defensione abstrahendo cooperantur; ut facilius occidat: quod facientes irregulares esse, clarè desumitur ex can. fin. 22. q. 8. quò

locò à Canonica poena tali casu illi solum excipiuntur, *Qui occisum nec vulnerabant, nec impugnabant, nec consilio nec auxilio cooperatores fuerunt.*

Neque refert; quòd Jure Civili non puniantur, ut homicidæ; quia aliud obtinet quoad irregularitatem: quam sacri Canones homicidæ, & ad homicidium cooperatores infligunt, *can. cit.*

Neque contrarium evincit decisio *c. Significasti cit.* quia eò relatus presbyter parochianis maleficis occidentibus non est cooperatus; cum vulnus non lethale, & sine occidendi animo inflixerit separatim, nec moraliter influxerit in eadem à supervenientibus parochianis, ipsò nec mandante, nec persuadente, perpetrata, ut *ibid.* Suarez *n. 12.* observat.

55. Dubium tertio est de eo, qui homicidium, cum posset, non impedit; quem pro irregulari habendum, desumi videtur ex *c. Sicut 6. §. Illi etiam cit.* ubi homicidis ille quoque accensetur, qui hominem à morte non liberat, cum posset; & ex *c. Quanta 47. de Sent. excom.* quò clericus percussorem, cum posset, non impediens, percussentium fautoribus accensetur.

66. Verum, quia juxta dicta in poenalis, & in irregularitatibus præsertim, ad casum non expressum, argumentum ducere non licet & *§. Illi etiam cit.* de non impediens, non simpliciter, sed cum consilio & auxilio homicidis præstito, sermo est, juxta *can. Facientis 3. dist. 86.* melius alii propositam dubitationem resolvunt ope distinctionis; & ab iis quidem, qui homicidium impedire tenentur ex Justitia, ut Magistratus eorumque officiales ac milites, domini respectu servorum &c. id, cum sine gravi damno & periculo possent, non impediendò irregularitatem contrahi, cum Sylvestro *V. Homicidium 3. q. 5.* & Na-

varro *cit. n. 32.* facile concedunt Suarez *cit. disp. 45. §. 4. n. 5.* & alii apud Barbosa *in c. Sicut cit. n. 18. & 19.* quòd tales moraliter occidere, aut homicidio cooperari videantur, & obligentur ad restitutionem. Alios verò, qui homicidium impedire solum tenentur ex Charitate, ut fere sunt aliæ personæ privatæ, ab irregularitate cum iisdem DD. excusant partim; quòd id Jure non sit expressum: partim verò; quòd homicidium sit peccatum contra Justitiam: contra quam proinde qui non agit, homicidium nec committere, neque ad id cooperari censetur, *can. fin. cit.* verbis, *Qui tantum adsuerunt homicidio, extra noxam sunt.*

## ARTICULUS VI.

### De Homicidio Casuali.

#### SUMMARIUM.

67. Irregularitatem non inducit merè Casuale:
68. Secutum ex actione à furioso, infante, dormiente:
69. Et ab alio posita licitè & cautè.
70. In ebrietate occidens irregularis est:
71. Nisi illa ademerit usum rationis.
72. Idem tenetur panà homicidii:
73. Nisi rationis usu fuerit privatus,
74. Et ebrietas omnino fuerit inculpabilis.
75. Aliquando etiam, si ea culpabilis fuit.
76. Homicidium, secutum ex actione licita, sed incauta poena,
77. Et irregularitati obnoxium est.
78. Eandem inducit secutum ex actione illicita:

79. Secum-

79. Secundum aliquos, etiam postea cum debita cautela.  
 80. Veritas ex tali secutum irregularitatem non inducit:  
 81. Nisi actio propter homicidij periculum prohibita,  
 82. Vel diligentia omisso graviter fuerit peccaminosa,  
 83. In dubio quis non censetur irregularis  
 84. Nisi dubitet, an sit Author homicidij,  
 85. Quod commissum esse, certum est.

67. **C**ertum est, homicidium merè Casuale, sive quod non solum dolo, sed culpa quoque in eo praevidendo & praevidendo admittenda vacat, poenae obnoxium non esse, l. Item Mela 9. §. 4. l. Si putator 31. in fine, ff. ad L. Aquil. l. 1. §. l. eum qui §. C. ad L. Cornel. de Sicar. quibus consonat Constit. Pœnalis Carolina art. 146. §. fin. Et in ander Et eichnus/ Bartol. in l. Perspicendum 11. §. Delinquunt, ff. de Pœnalis n. 3. Farinac. Prax. Criminal. q. 126. à 56. & Gaill. Lib. 2. observat. 110. à n. 38. Ob quam causam ex homicidio & mutilatione irregularitatem non incurrunt Imprimis, qui carent usu rationis, ut sunt infans, furiosus, amens, dormiens, Clement. Unic. hâc Rub. cujus famigerata Constitutio tenor est, Si furiosus, aut infans seu dormiens hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurret. Deinde ratione utentes, ex quorum actionibus piis & honestis, aut saltem licitis, præter expectationem & opinionem omnem mors aut mutilatio sequitur, vg. si, dum quis cautè levat ægrotum, eive ex Medici præscripto præbet pharmacum, ex hoc ille moriatur: si, dum loco & tempore debito pilâ, conis, jaculatione aut alio honesto ludo se recreat, alium repente ac-

currentem trajiciat; si, dum campanarum compulsionem populum ad rem Divinam convocat, tintinnabulo casu decidente, aliquis opprimatur &c. c. Lator 9. c. Joannem 23. & c. fin. Barbosa in c. Lator cit. n. 3. Et in c. Joannes cit. n. 2. & Gobat Quinarij Tract. 5. cap. 20. n. 16. & 17. pluribus casibus hanc rem illustrans. Ratio est; quia irregularitas ex homicidio, commisso à privato, imposita est in poenam, quæ culpam & usum rationis supponit, Palao Tract. 29. disp. 6. p. 15. §. 4. n. 1. & ex eo Gobat cap. 20. cit. n. 5. Unde

An idem sententium sit de ebrio, 70. dubitandi ratio est; quia se inebrians graviter peccat, can. Inebriaverunt 9. Sc. 15. q. 1. & in ebrietate occidens aliquando Ordinariâ homicidarum, Gaill. Lib. 2. observat. 110. n. 28. & saltem extraordinariâ poenâ semper est plectendus, l. Omne delictum 6. §. 7. ff. de Remilitari Sc. cit. Gaill. n. 27. & propterea, in ebrietate occidentem ab irregularitate, Clem. cit. non excusari, cum Zabarella ibi vult Sylvester V. Homicidium, q. 4. n. 5.

At melius Fagundez Eccles. præcept. IV. Lib. 5. cap. 1. à n. 16. & Gobat cit. cap. 20. à n. 2. utuntur distinctione; quantumvis enim pro irregulari citra omne dubium habeant ebrium, qui rationis usu nondum privatus, sed in temperantiore potu solum animosior factus alterum mutilavit aut occidit: uti & eum, qui id fecit usu rationis jam plenè adempto, si, antequam ratio opprimeretur, homicidii aut mutilationis probabile periculum; quod temulentus arma corripere & obvios invadere solitus sit, prævidit, eique non satis occurrit: quantumvis, inquam, pro irregulari talem habeant, meritò tamen cum Navarro Manual. cap. 27. à n. 230. & Covarruvia in Clement. cit. p. 3. pr. n. 3. Barbosa in Clem. cit. n. 10. & alii TT. & Canonistæ à Canonico ejus impedimento 71. ebrium

ebrium excusant non solum, quando ebrietas, quod præter omnem opinionem v.g. ex vino, multo quam existimabatur, generosiori acciderit, omni culpa vacat: sed etiam, quando ea mortaliter fuit peccaminosa, si cades aut mutilatio accidit, præter omnem suspicionem; quod ejus periculum non fuerit prævisum, nec rationabiliter potuerit prævideri. Ratio est; quia ex homicidio, privata autoritate facto, irregularitas non contrahitur sine culpa; cum, actui inculpabili eam annexam, ullo jure non sit expressum; ac proinde locus arg. c. Is qui 18. pr. de Sent. excom. in 6. culpa autem tali casu, licet intervernerit in ebrietate, quoad eadem tamen, hoc ipso; quod ista inopinatio acciderit, aperte desideratur, juxta can. Inebriaverunt in contrarium allegatum.

72. Minus urget autoritas Gaillii, quia ea de re plerique aliter sentiunt. Ego vero, licet eum, qui per excessum potus usu rationis non privatus, sed tantum ad insolitam iracundiam, audaciam & temeritatem concitatus occidit: uti & eum, qui cum sciret, à se in plena ebrietate proximum quemque periculosè invadi consuevisse, & cædis perpetranda animo se inebriasse, legitimè probaretur, homicidio secuto, poenâ istius ordinariâ plethi posse, cum Tiraquello de Penâ temper. casu 6. n. 10. Harprecht §. Item Lex Cornelia 5. Instit. de Publ. jud. n. 287. & Haunoldo Tom 6. tract. 2. n. 298. haud ægrè concedam; quod ab ipsis perpetratum homicidium verè dolosum sit: ab ea tamen immunem & extraordinariâ solum poenâ obnoxium, censo illum, qui pravæ suæ consuetudinis & cum temulentia conjuncti cædis periculi conscius, sine ejusmodi occidendi animo inebriatus occidisset, ut ex l. §. 7. cit. V. Per vinum desumunt & cum Claro §. fin. q. 60. n. 12. Tiraquello l. cit. n. 11. Covarruvia l. cit. n. 4. Menoch.

de Arbitr. Jud. casu 325. n. 3. iidem docent. Ratio est; quia ordinariâ legis Corneliæ sive mortis naturalis poenâ solummodo plethitur homicidium, quod ex proposito & dolo malo est perpetratum, l. 1. pr. §. 1. & 3. l. in lege 7. ff. ad L. Cornel. de Sicar. dolo autem non occidit, qui id facit in hujusmodi ebrietate, l. Per spiciendum cit. §. 2. Neque refert; quod suæ consuetudinis conscius se inebriarit; ac proinde ab eo perpetratum homicidium præcesserit culpa lata, quæ l. Quod Nerva 32. ff. Depositi, dolo æquiparatur; quia, licet hoc verum sit in contractibus, in homicidio tamen & aliis delictis, poenam corporalem & infamiam irrogantibus, ejusmodi culpa dolo non æquiparatur, l. In lege 7. cit. & arg. Reg. Odit 15. & Reg. In poenâ 49. in 8. Ita aliis relatis ipse Gaill. observat cit. n. 2.

73. Eos autem, quorum ebrietas inculpabilis & homicidium omnino improvisum fuit, nulli poenæ subjacere, communis & certa sententia est TT. & JCT. orum; id delumentium partim ex illo, Pro mensura peccati erit & plagarum modus, Deuteron. cap. 25. V. 3. & c. Felicia 5. de Penâ in 6. Verbis, Judex poenam metietur ex culpa; ac proinde, ubi peccatum & culpa abest, plagis aut alteri poenæ non est locus; quia, ut S. Augustinus ait, Omnis poena, si justa est, peccati poena est, Lib. 1. Retract. cap. 9. partim à paritate cum furioso, infante ac dormiente, à quibus commissæ cades poenæ sunt extortes, l. Infans 12 ff. ad L. Cornel. de Sicar. can. Aliquis, 15. q. 1. & Clement. cit. ubi pro hujusmodi ebriis militans ratio redditur, Quomodo enim reus constiueretur, qui nescit, quid faciat?

74. Quin etiam homicidium, in ebrietate voluntaria perpetratum, si ejus secuturi aut periculi suspicio nulla præcessit, spectatò naturali jure, à poenâ immune esse,

esse, cum Castro *Lib. 2. de Lege Penali, cap. 14. concl. 1.* docent Molina *Tract. 3. de J. & J. disp. 38. n. 8.* Lessius *Lib. 4. de de J. & J. cap. 3. n. 27.* Laiman *cit. p. 3. cap. 4. n. 2. concl. 3.* & alii, pro quibus aperte faciunt textus *can. Sande & can. Inebriaverunt cit.* quorum posteriori reatus S. Augustinus de Loth in ebrietate incestum committente, *Culpandus*, inquit, *est quidem: non tamen quantum ille incesus, sed quantum illa ebrietas meretur.* Ratio est; quia hoc ipso; quod homicidii periculum omnino improvisum, etiam involuntarium, mereturque fortuitum & culpæ poenæque exors est.

75. Dixi, *Spectatò jure Naturali*; quia plurimum provinciarum statutò vel consuetudine ebrui, quantumvis aliàs impunes sint, ob eventum homicidii in foro externo extraordinarià poenà plectuntur, juxta §. 7. *V. Per vinum cit. d. Aut facta 10. §. 8. ff. de Penis*, ut cum Bartolo in §. *cit.* notat Laiman. *l. cit. in fine.*

76. Certum secundò est, à poena immune non esse homicidium, ex actione non solum illicita: sed ex licita quoque, & ex se honesta, præter intentionem & expectationem secutum, si ad id cavendum debita diligentia adhibita non fuit; quia culpabile & non merè fortuitum est respectu occidentis: cui proinde, quia poena certa legibus definita non est, extraordinariam arbitriò judicis, & adhibitiò Jurisperitorum consiliò infligendam, non obscure insinuat *Constitut. Penali Caroli V. Arr. 146. §. Der Thäter setner*: cujusmodi poena aliquando, licet rariùs, fustigatio cum relegatione, vel relegatio simplex perpetua vel ad aliquot annos: aliquando carcer & aliquando pecuniaria: aliquando, in Bavaria saltem nostra, peregrinatio ad celebrem locum sacrum cum obligatione inferendi testimonium peractæ poenitentiae, aut aliæ similes juxta qualitatem persona-

rum & facti, & præsertim culpæ, in cavendo homicidio admittæ, circumstantias, moderatæ esse solent, teste Haunoldo *Tom. 6. de J. & J. tract. 6. n. 278.*

Ejusmodi homicidio etiam irregularitatem contrahi, clarè desumitur ex *c. Continebatur 8.* quo textu Alexander III. irregularem pronuntiat clericum, quòd falcem non removerit à tergo, in quod alius ex regionis more insiliens lethaliter est vulneratus: uti & ex *c. Presbyterum 7. & c. fin. in 6.* quibus locis pro irregularibus habentur, qui puerum percuti mandavit, & qui ex mandato percussit; quòd modum iste quidem excesserit: ille verò à mandatario excedendum potuerit ac debuerit prævidere; itaque debita diligentia ad cavendam mortem fuerit omissa, Covarruvias in *Clement. cit. p. 2. §. 2. n. 9. V. Quartus & §. 4. n. 5. cit. Suarez disp. 46. f. 2. n. 4. & Barbosa in c. Presbyterum cit. n. 2.* Unde

Dubium & nec levis momenti, nec expeditæ resolutionis, controversia est de eo, qui rei quidem illicitæ operam dans, sed tamen debitâ diligentia non omittâ, occidit; nam D. Thomas 2. 2. q. 64. *art. 8.* Cajetanus *ibidem*, Innocentius in *c. Tu nos 19. hæc Rubr. Laiman, Lib. 3. tract. 3. p. 3. cap. 10. n. 4.* & alii præsertim VV. Canonistæ, quos secutus novissimè est Fagnanus in *c. Ad audientiam 12. n. 19.* irregulares absolute pronuntiant omnes, ex quorum opere illicito homicidium est secutum. Moventur primò *arg. c. Dilectus 13. & c. Ex literis 15.* quo loco utroque occidentes ab ea absolventur ex ratione; quòd operam dederint rei licitæ, & adhibuerint debitam diligentiam in homicidio præcavendo. Unde à contrario ducto argumento infertur, irregulares fore, si operam rei illicitæ dedissent, etiamsi debitam diligentiam adhibuissent. Secundò textibus *c. Tu nos cit. & c. Sententiam*

sentiam q. Ne Clerici & Monach. ex quorum dispositione clerici constituti in saceris & monachi irregulares fiunt, quando ipsis medicinam vel chirurgiam exercentibus, etiam omni diligentia adhibita, mors sequitur; quod ejusmodi actus exercitium ipsis illicitum sit extra casum necessitatis, Glossa in c. Tua nos cit. V. Congruat & ibi Panormit. n. 2. Tertiò ratione; quia de Jure irregularitas facilius contrahitur homicidio, quod ex illicito, quam eò, quod ex licito opere est secutum, c. Dilectus c. Ex literis cit. & c. Joannes 23. &c. quod verum non esset, si ex illicito opere secutum eam non induceret, quando debita diligentia adhibetur. Huic rationi & auctoritati licet multum tribuam,

80. Præfero tamen, & veritati magis consentaneam esse, censo doctrinam aliorum, non minoris notæ DD. hac in re statuentium discrimen: & casu quidem, quò homicidium sequitur ex opere vel actione illicita, quæ ex se periculosa, mortisque vel mutilationis facile inductiva, & præsertim propterea graviter prohibita est, ut sunt exercitium Chirurgiæ, artis Ballistrariæ, Torneamentorum respectu alicujus imperiti, irregularitatem contrahi, concedunt; quantumvis aliàs ad homicidium aut mutilationem præcavendam debita diligentia adhibeatur; quia tale homicidium aliquò modò, scilicet in causa, voluntarium est exercenti ejusmodi actionem; ut, qui hanc voluit, ex Juris interpretatione vel præsumptione voluisse videtur ipsum homicidium; itaque imperitia instar culpæ reputetur. Casu autè, quò opus vel actio illicita, ex se non ita periculosa, neque ob homicidii periculum prohibita est, homicidio inde secuto, si ad hoc cavendum debita diligentia adhibita fuit, irregularitatem contrahi, negant, extra casus Jure specialiter expressos,

Unde irregularis non est clericus, venationi insistens, si hominem, quem pro fera habet, occidat: furtum mandans alteri, si iste deprehensus occidatur: adulter, si sequatur inopinata cædes adulteræ: &c. ut exemplò utar casus, non ita pridem facti, Religiosus contra Prælati sui prohibitionem comis ludens, si globus ligneus ludentis manibus excussus impingat in caput hominis improvisò accurrentis, eumque exanimem prosternat &c. Ratio est; quia hujusmodi homicidia neque directè, neque indirectè ullò modò voluntaria sunt; & propterea rei illicitæ operam danti nequeunt imputari, ita cum Castro de Lege penali Lib. 2. cap. 14. & Covarruvia p. 2. cit. §. 4. n. 10. Sotus Lib. 5. de Justitia q. 1. art. 9. Henriquez Lib. 14. cap. 15. n. 3. cit. Suarez disp. 45. s. 6. n. 9. Sanchez Lib. 9. de Matrim. disp. 32. num. 5. & alii.

Neque, casuali homicidio imposita irregularitate etiam hos affici, persuadent, quæ contra eos sunt allegata. Primum; quia à contrario ducti argumenti exigua vis est in pœnalibus, maxime in irregularitatibus; cum istæ non contrahantur, præterquam in casibus Jure expressis, c. Is, qui pr. cit. Si, eam in homicidas generaliter constitutam, & eos duntaxat, qui rei licitæ operam dant, Jure exceptos, quis contendat, ei opponi potest Clement. cit. non obscure excipiens homicidia omnino involuntaria: ejusmodi sæpe sunt, quæ ex opere illicito sequuntur.

Alterum; quia ex. eò relatis continetur casus specialis, quò Jus clericis in saceris Chirurgiæ, etiam si istius periti sint, exercitium interdixit ob periculum mortis, cum ejus artis exercitio non rarò conjunctum: ejusque prohibitionis transgressores ab irregularitate immunes esse, novit, quoties ex Chirurgia, extra casum necessitatis exercitæ, etiam adhibita omni diligen-

diligentiâ, mors aut mutilatio sequitur, Suarez *f. cit. n. 12.*

Postremum; quia irregularitas nihilominus facilius contrahitur exercitiô operis illiciti quàm liciti; quia licito operam dans præsumitur, ad homicidium cavendum adhibuisse debitam diligentiam; quod non præsumitur in eo, qui actionem illicitam exercet, Palao *Tract. 29. disp. 16. p. 15. §. 4. n. 6.*

82. Dubium secundum est, an ad irregularitatem contrahendam sufficiat omisso debita diligentia solum venialiter peccaminosa. Qua in re affirmativam Glossa in *c. Significasti 16. V. Scivisset* & Covarruvias *§. 4. cit. n. 9.* Sed melius Navarrus *Manual. cap. 27. n. 251. cit.* Sotus *art. 9. Suarez f. 5. n. 8. Diana p. 4. tract. 2. resol. 21. Gobat cit. cap. 20. n. 11. Palao cit. §. 4. n. 1. & Gonzalez in c. De castro 11. a. n. 1.* Negativam sustinent, & ad contrahendam irregularitatem exigunt culpam Theologicam latam, sive mortaliter peccaminosam; partim propter textus *c. Quastum 7. de Panit. & remiss.* quod pater irregularis declaratur, si filii cum ipso dormientis suffocatio accidit, eò procurante, vel studiosè negligente: quæ faciens utique graviter delinquit: & *c. Exhibita 22.* ubi, qui ex obitu occisi læsam (graviter secundum communem intellectum) non habuit conscientiam, absolvitur ab irregularitate: *c. Dilectus, c. Ex literis & c. Significasti cit.* quorum casibus personas, ab irregularitate absolutas, à culpa levi immunes non fuisse, existimat, Engel *ad hanc Rubr. n. 48.* Rationem cit. DD. reddunt: quòd, cum Jura circa qualitatem culpæ nihil statuerint, meritò latam exigamus in materia pœnali, *arg. l. Semper 56. ff. & c. In panis 49. de R. J. in 6.* ut pena, utique gravissima, culpæ sit proportionata.

83. Dubium tertio & celeberrimo contro-

versia est, an pro irregulari haberi sèque gerere debeat dubius de ipsa homicidiô contracta. Qua in re satis exploratum est, dubium de Jure, v.g. an actui irregularitas sit imposita, irregularem non censendum; quia irregularitas inducenda non est, nisi in casibus Jure expressis, *c. 15. cui 18. pr. cit.* Jure autem expressum dici non potest, de quo, an Jus seu Canon aliquis extet, dubitatur, *cit. Suarez disp. 40. f. 5. n. 4. & Sanchez Lib. 1. Moral. cap. 10. num. 42.*

Idem in dubio Facti, an scilicet quis perpetrarit homicidium, cui irregularitatem à Jure annexam constat, statuendum videri potest, cum; quòd rei favorabiliores sint, quàm actores *Reg. 125. ff. & Reg. 11. in 6.* & propterea, homicidiô ab actore non probatò, reus absolvendus sit, licet nihil præstiterit, *c. fin. §. Sanè, de Jurjurando:* tum verò; quòd in dubio melior sit conditio possidentis, *Reg. In pari 65. in 6.* ac proinde ei, qui est in possessione libertatis à pœna & obligatione, ab usu & exercitio Ordinum necessariò non sit abstinendum.

At, licet rationes istæ procedant in 84. dubio Facti, inducentis alias pœnas, aut etiam irregularitates, Barbosa *in c. Ad audientiam 12. n. 2. & 3.* & verisimilius etiam in dubio, an homicidium, mutilatio, aut foetus animati abortus sit factus, ut cum Gibalino *de Irregul. cap. 4. q. 1. n. 17. Diana p. 11. Tract. 6. resol. 24.* aliisque docent Matth. Moia *Select. 2. Tract. 5. q. 6. à n. 3.* & And. Mendo *de Jure Academic. Lib. 3. n. 321.* quòd non extet speciale Jus, tali casu irregularitatem inducens; cum utroque *cc.* mox allegandò, ex quibus multi contrarium desumunt, expressè agatur de casibus homicidii perpetrati: licet, inquam, in homicidii, mutilationis, vel abortus facti dubio rationes illæ procedant, aliud tamen dicendum est 85. casu,



casu, quò de homicidio, mutilatione vel abortu, quoad factum sive corpus delicti certis, quis dubitat, an ex vulnere à se inflicto, ex mandato, consilio, aut pharmaco à se dato, vel ex vulnere inflicto ab alio, ex negligentia vel imperitia chirurgi, vel ex incuria aut malicia ipsius vulnerati, aut foeminae abortientis provenerint; sic enim dubitantem irregularem censendum, clarè decisum est *c. Ad audientiam S. c. Significasti* 18. ex ratione; quòd in dubio tutior pars sit eligenda. Quæ ratio, licet universalis videatur, non tamen universaliter in omni dubio facti tutioris partis electionem præceptam esse; & propterea dubitantem de mutilatione, an facta sit, pro irregularem se gerere non teneri, cum *cit. Sanchez n. 49.* & *Bonacina de Censur. q. 1. p. 4. n. 4.* defendit *cit. Barbota n. 4.* quia in materia pœnali, sicut dispositio, sic etiam ratio legis à casu ad casum non est extendenda; cum ratio, quæ legislatorem movit ad irregularitatem inducendam in dubio de homicidio, an à se vel ab alio perpetratum sit, potuerit eundem non movere ad id statuendum in dubio de facta mutilatione, ut in simili dictum est *Lib. 3. Tit. 49. n. 114.*

### ARTICULUS VII.

## De Homicidio Deliberato.

### SUMMARIUM.

86. Homicidii ipsius natura,
87. Et punitio,
88. Privatioque sacra Immunitatis, prodata Jure Civili:
89. Secundum aliquos etiam Canonice:
90. Quò Immunitatem duplicis generis,

91. Imò quibusvis homicidis voluntariis ademptam, volunt.
92. Sed contra præcos Ecclesie Canones,
93. Et contra Jus Decretalium, certos duntaxat:
94. Non quosvis homicidas voluntarios illà privans.
95. *c. 1.* hâc Rubr. sermo non est de Ecclesiastica immunitate:
96. Vel ista denegatur soli homicidae Proditorio,
97. Eadem privato Jure Ecclesie moderno.

**D**eliberatum seu Præmeditatum 86. est, quòd non solum animò occidendi, sed præviâ animi deliberatione & occidendi proposito, necis illationem ex intervallo præcedente, est perpetratum: cujusmodi deliberatio & animi propositum an illam præcesserit, in casibus occurrentibus in praxi arbitrio judicis, facti qualitatem & circumstantias accuratè ponderantis, ex iisque de ipsa deliberationis qualitate conjicientis, relinquunt *Menchius de Arbitr. Jud. casu 361. n. 1.* & *Farinacius Prax. Criminal. q. 125. n. 9.* quorum ille à *n. 24.* iste à *n. 159.* pro Præmeditato habendum aiunt homicidium, quòd nulla ira vel rixa, nec justus aliquis animi dolor & similis passio alia præcessit: quòd ab inimico capitali, ex insidiis, vel proditorie, sive amicitie simulatione: post necis inferendæ jactationem, comminationemve: prævio de eadem inferenda tractatu, vel consultatione: ab eo, qui congregavit socios, arma aliâque ad aggressionem necessaria comparavit, aut præter morem armis se accinxit, cædisve locum frequentavit: qui ad fugam, tutumve receptum omnia præparavit &c. est perpetratum.

Hujus

87. Hujusmodi autem, sive Præmeditati homicidii, sicut multò, quàm simplicis, sive in rixa subito coorta aut vehementioris animi passionis impetu commissi reorum, atrocius delictum, sic gravior animadversio, & in homicidas utroque Jure constitutarum poenarum executio certior, difficiliorque remissio, eoque inducitur irregularitatis relaxatio difficillima est, ut nemo facile inficiatur, & utriusque Fori Curiarum praxis docet.

88. DD. est, an ejus perpetrati rei, ad Ecclesias aliâque sacra & religiosa loca confugientes, eorum Immunitate defendantur. Quod, si Civilis Jurisprudentiæ judicio standum esset, nullius negotii, & expedita resolutio foret; cum homicidis, ad summi Dei templa & altaria confugientibus, non parcendum: sed inde extractis supplicia inferenda, Imperiali sanctione constitutum sit; & Templorum cautela generaliter non nocentibus, sed læsis à lege data asseratur Novell. 17. cap. 7. pr.

Quoniam verò sacra templorum Immunitas, supremi aternique Numinis honorem & locorum ei dicatorum reverentiam concernens jus, & Religionis negotium est, per tradita Lib. 3. tit. 49. n. 163. propositæ dubitationis resolutio ex sacerorum Canonum Regulis petenda est, arg. can. Certum 3. dist. 10. can. 1. can. Duo sunt 10. Ec. dist. 96. & c. Ecclesia 10. de Constitut. Quod unanimi calculo utriusque Juris Interpp. ac DD. Orthodoxi omnes consentunt.

89. His etiam, sive Canonico Jure Deliberati ac Præmeditati homicidii reis sacra asyla non prodesse; ac proinde eos Ecclesiarum, ad quas confugiunt, immunitate non defendi, cum Claro §. fin. q. 30. n. 12. contendunt Decianus Tract. Crim. Lib. 6. cap. 28. n. 15. Fachineus Contravers. Lib. 9. cap. 3. §. Ego & Molina Tract.

3. de J & J. disp. 23. recitantes textum, Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo exiles eum, ut moriatur, Exodi cap. 21. v. 14. cujus Judiciale, & Christi morte extinctum veteris Legis præceptum, c. Translato 3. de Constitut. ipsâ in Decretales translatione resuscitandò Gregorius IX. Juris Ecclesiastici fecit, c. 1. hâc Rubr. Eò autem Præmeditæ & ex proposito commissæ cædis reum ex sacris asylis excludi, non eòdem omnes modò ostendunt.

90. Quidam enim, eò ab altari & Ecclesiis arceri, aiunt, duplicis homicidii reos: quorum prius expressum putant, Verbis, Si quis per industriam occiderit proximum suum, integrum sententiam reddentibus: posterius autem verbis, Et per insidias, junctis ad orationis perfectionem & complementum verbis, Si quis occiderit proximum suum, quæ tacitè includuntur & repetita intelliguntur. Unde casui seu homicidio utrique interjectæ particule Et vim tribuunt disjunctivam; quòd, licet institutione & communi usu spectatis copulativa sit, perfectæ tamen orationi subiecta non copulet, seu jungat: sed instar dictionum Aut vel Seu disjungat, ex mente Bartoli in l. Seia 20. §. Casa ff. de Fundo instr. Alexand. Lib. 5. consil. 66. n. 6. & Parisii Vol. 2. consil. 38. n. 6.

91. Alii, eò deliberatos homicidas indiscriminatim omnes, tanquam insidiarum proximi vitæ structarum ipsò nocendi proposito reos, Ecclesiastica immunitate privari, contendunt & ostendunt; quòd hujusmodi homicidæ, præclusò ad asyla perfugio, capitale supplicium constitutum sit Exodi cap. 21. v. 12. & 13. Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur: qui autem non est insidiatus: sed Deus illum tradidit in manus ejus, constitutam ei locum, in quem fugere, debeat: cujus

cujus sacri textus versu & casu priori homicida voluntarius sive, ut loquimur, ex proposito occidens morti deputatur: posteriori autem absque proposito occidenti, tanquam miseratione & immunitate digno, constituitur locus, in quem fugere debeat. Quæ huius textus expositio confirmatur gemina ratione. Una est; quia quisquis deliberatè ac præmeditatè in proximi necem cum effectu machinatur, eum per industriam occidit: & qui per industriam occidit, ejus vitæ infidias parat, occupandò tempus & locum, quò eum aggrediatur incautum, & animi sui propositum minimo suo incommodo & periculo exequatur. Altera; quòd iste verborum ex libro Exodi cap. 21. cit. relatorum intellectus præ aliis congruat Juri Civili, homicidis ex proposito occidentibus, immunitatem generaliter adimenti cap. 7. cit. pr. Cujus Juris traditiones cum in materia Immunitatis disertè approbatæ sint, can. Id constituimus 17. q. 4. & 6. Inter alia 6. de Immunit. Eccles. dubii canonis, Immunitatem concedentis, expositio, quæ ei magis consona, cæteris præferenda est, arg. c. 1. de Novi oper. nunt.

92. Sed res omnino explorata est, Jure Ecclesiastico non cujuscumque Præmeditati homicidii reos Ecclesiis & Monasteriis competenti Immunitatis privilegio privatos. Et quidem, si prædictos Ecclesiæ canones & DD. consulamus, satis liquet, ex Ecclesiis extrahi confugarum neminem potuisse: sed sancti loci reverentiâ & intercessione tutos fuisse reos, indiscriminatim omnes, qui ad eum se recepissent, can. Eos qui 6. dist. 87. can. Reum 8. can. Deservit 28. can. Id constituimus 29. Sc. q. 4. quibus accedit & facem olim præferebat Ecclesiæ DD. ac PP. Lumen S. Augustinus Serm. 5. de Dedicat. ubi generaliter Cujuslibet, inquit, criminis reum à sacris liminibus abstrahere, grandis im-

93. *juris Religionis & Divinitatis offensa est.*

Cum tempore tamen, crecente hominum malitiâ & criminibus crebrescentibus, ex sacris alyis autoritate Ecclesiastica exclusi sunt Imprimis latrones publici duntaxat à Nicolao I. can. Sicut antiquius 6. q. 4. cit. Deinde depopulatores agrorum nocturni ab Innocentio III. c. Inter alia 6. de Immunit. Demun- ii, qui homicidia vel mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis vel earum cæmeteriis committere non verentur, à Gregorio IX. c. fin. Rubr. cit.

An ultra hos à summo hoc Ecclesiæ Antistite cuicumque, deliberatò ac præmeditatò animò occidenti, Ecclesiasticæ Immunitatis suffragium denegatum sit e. 1. cit. ex Exodi relato textu, Si quis per industriam &c. controversia inter ejus Interpp. propter ignorantiam mentis sive intentionis Papæ, eum Decretalibus inferentis, indeque natam varietatem expositionum tanta est; ut, tanquam ambigui sensus textus, ad causarum decisionem Juris instar nequeat allegari, juxta doctrinam Bartoli, Felini & aliorum traditam Lib. 1. tit. 2. n. 13. præsertim ad homicidii ex proposito commissi reorum, indiscriminatim omnium, exclusionem ex alylo.

94. Primum enim præcipui nominis & Gregorii IX. coævi vel proximi Interpp. plerique c. 1. cit. textum, non de laicis vel morte naturali privationeque immunitatis: sed de clericis, & morte spiritali peccati, vel Civili clericis per dignitatis beneficii & officii Ecclesiastici privationem à ministerio altaris vel degradationem: laicis verò per remotionem à participatione altaris aut ipsa fidelium communione infligenda intelligunt: idque partim; quòd ab altari avelli illi tantum possint, qui ei sunt affixi sive, ut clerici, per sacram Ordinationem ejus ministerio additi; partim verò; quòd naturalis

MORTIS

mortis pœnam Canon non infligit, *arg. c. Sententiam 9. Ne clerici vel monach. & c. In Archiepiscopatu 4. de Raptorib. & propterea, cum mortis mentionem facit, exaudiendus sit de Spirituali vel Civili, arg. c. Per venerabilem 13. Qui filii legit.* ubi verba Deuteron. cap. 17. v. 12. *Decretò iudicis morietur homo ille,* quæ in veteri lege denotabant mortem Naturalem, quæ anima separatur à corpore, ab Ecclesia accipiuntur de Spirituali, quæ mortuus à fidelium communione &c. removetur, ut in *c. Cum non ab homine 10. de Judiciis* notat Fagnanus n. 43. & demum partim etiam; quia, si *c. 1. cit. de Immunitatis* privatione ageretur, ejus textus perinde ut, qui de latrone publico & cades vel mutilationes in Ecclesiis vel Monasteriis committentibus agunt, Rubricæ *de Immunitate Eccles.* fuisset subiiciendus, ut in *c. cit. notant Panormit. pr. & Fagnanus n. 4.*

95. Secundo; quia eorum etiam, qui *c. 1. cit. de homicidæ* ex alylo sacro exclusionem vel extractionem exaudiunt, aliqui cum Innocentio & Ant. de Butrio, eò latrones solum in publicis stratis viatores ex insidiis occidentes, inde excludi volunt; ne *c. Inter alia & c. fin. cit.* ejusdem compilationis textuum, cæteris defensionem præstantium, correctio inducatur.

Tertio; quia expositione præ aliis verisimili, *c. 1. cit. textu solum homicidam* verè ac propriè Proditorium excludi, alii docent cum Archidiacono in *c. cit. V. Et si forè,* Hostiensis *pr. Anchoran. n. 2. Felino pr. & Joan. Andr. n. 2.* Quorum sensum sacre Paginæ præ aliis consonare, existimant Fagnanus *l. cit. n. 4. Farinac. Lib. 1. Consil. 76. n. 18. Vincent. de Franch. Decis. 713. & Sperellus Decis. 23. n. 18.* Neque id immeritò; quia sacer textus Exodi cap. 21. unde *c. 1. cit.* desumptum est, triplici homicidò

leges statuit. Voluntario, cui mors decreta est, *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur, v. 12.* Casuali, *Qui autem non est insidiatus, ut prior seu voluntarius: Sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum, in quem fugere debeat, v. 13.* Proditorio, altari non defendendo, *Si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab Altari meo velles eum, ut moriatur, v. 14.* Quæ verba de homicidio verè Proditorio; & dolosâ amicitie vel reconciliationis simulatione commissò accipienda, insinuat Glossa Interlinearis, quæ maximæ auctoritatis est, & verba *Per insidias* declarans ait, sicut legitur de Joab, Abner & Amasam, amicitie specie deceptos, occidente, *Reg. Lib. 2. cap. 3. v. 26. & cap. 20. v. 7. & 10.*

Eadem Exodi v. 14. verba de homicidio propriè Proditorio exaudienda, desumitur imprimis ex Originis Hebræo, quod habet, *Si quis proximum suum occiderit in astutia,* hoc est, aliud in corde, aliud in ore gerens. Deinde ex septuaginta Interpp. versione Græca, quæ legit, *Si aliquis aggressus fuerit proximum, ut occidat in dolo,* hoc est, amicitie fidem frangendò, ut notat Lipomannus in Exodi cap. 21. *cit.* Et demum ex versione Vatabli, quæ habet, *Si aliquis volens & callidè,* hoc est, inimicitiam dissimulandò &c. cujus Divinæ sanctionis rationem Lipomannus *l. cit.* reddit; quia nihil ei debet fides Altaris, qui per dolum occidendò proximum omnem fidem prodidit.

Quare omnino debile vanumque est, quod ad Præmeditati homicidæ ex Alylo sacro exclusionem ex Divino illo textu, & *c. 1. cit.* ducitur argumentum; cum sanctiones Canonice Gregoriò IX. antiquiores cujuscunque cædis perpetratæ reo, ad

reos, ad Altare, Ecclesiam vel Monasterium fugâ se recipienti, apertè atrociter: dummodo non sit latro publicus, aut voluntaria hominis interfectione, vel mutilatione Ecclesiam vel cœmeteriû non contaminarit, *c. Inter alia & c. fm. cit.*  
 97. Recentiori autem &, quò hodie utimur, Jure ultra relatos ex homicidis Proditorii cluntaxat & Assassini criminis rei excludantur *Constitut. Gregorii XIV. quæ incipit Cùm aliàs 9. Calend. Jan. 1591. publicata, & Lib. 3. Tit. 49. à n. 25. relata.*

## ARTICULUS VIII.

## De Homicidio, perpetrato ex Infidiis,

## SUMMARIUM.

98. Hujus criminis natura,  
 99. Et pœna.  
 100. Ejus reos sacrò asylo defendi, alii qui negant:  
 101. Et ex Jure Decretalium antiquo,  
 102. Sed perperam desumunt.  
 103. Alii eam in rem allegant Bullam Gregorii XIV.  
 104. Asylo privantis Reum necis Proditoria:  
 105. Quam ex infidiis occidendò committi, probare conantur.  
 106. I. T. Livii, C. Taciti & M. T. Ciceronis auctoritate,  
 107. II. Juris Civilis textibus,  
 108. III. Ipsâ Constitutione Gregorianâ,  
 109. IV. Ratione,  
 110. V. Phrasibus aut auctoritate non nullorum ICT.orum,  
 111. Necis Infidiosa reum Immunitate non privari,  
 112. Ex Brevis Clementis VIII.

113. Sacris Consultis Romanis  
 114. Et curiarum praxi indubitatum est:  
 115. Neque contrarium Livii, Taciti & Ciceronis exempla,  
 116. Ullus textus Juris Civilis,  
 117. Tenor Constitutionis Gregorianæ.  
 118. Ratio,  
 119. Phrasès & auctoritas ICT.orum persuadent.

**D**eliberato homicidium istud superaddit qualitatem Infidiarum, seu dolosæ expectationis & clandestinæ machinationis in necem hominis interfecti; ex infidiis enim occidere dicitur is, qui latronis more alicujus viâ latus infidens, aliòve locò absconditus & expectans, inimicum prætereuntem nihilque mali prævidentem; atque idcirco ad sui defensionem hic & nunc impotentem improvisò adoritur, strictoque ferrò vel sclopò explosò interficit: quomodo Clodium in Milonis necem machinatum, ostendere M. T. Cicero conatus est *Orat. pro Milone.*

Ex infidiis perpetrata cædes, quòd eâ, quæ aperta vi illata est, atrocior: & suâ naturâ valde deformes atque degeneres infidiæ sint, graviori vindictâ coerceri semper consuevit usque adeò; ut alicubi conatus quoque, si ad actum proximum processisset, capite puniretur: &, saltem si is, in cujus necè infidiæ paratæ sunt, ex inflicto lethali vulnere præter spem atque opinionem convaluisset, pœnâ Sicariorum Ordinariâ procedi, locorum statuta juberent, apud Ant. Matth. in *Lib. 48. ff. de Sicaris n. 4.*

Quidquid autem de hoc sit, communi Jure Civili, & veteri etiam atque moderno Canonico ei, qui ex infidiis alicui mortem intulisset, ad Ecclesiam vel Monasterium perfugium ademptum, ad eaque,

ad eaque, & ipsum etiam altare fixum se recipientem, inde ad carcerem & supplicium abstrahi posse, magni nominis DD. ante & post Gregorii XIV. *Constitutionem Lib. 3. tit. 49. n. 25.* relatam sustinuerunt.

101. Et veteri quidem Decretalium Jure ejusmodi cædis authorem sacræ asyliâ non defendi, docuerunt Clarus §. *Homicidium n. 9. & §. fin. q. 30. n. 13.* Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 20. n. 7. Placha Epitom. delict. Lib. 1. cap. 21. n. 6.* Decianus *Tract. Crim. Lib. 6. cap. 28. n. 19.* Suarez *Tract. 2. de Relig. Lib. 3. cap. 11. n. 12.* Sanchez *Consil. Lib. 6. cap. 1. dub. 3. n. 26.* & alii, cum TT. tum ICT: ducti textu *c. 1. Si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur* cui, ex Libro Exodi in Decretales translato, & in rem præsentem apertissimo Juri consonat, & insidiosum homicidam ex asylo sacro non minùs clarè excludit Deuteronomium, *Si quis odio habens proximum suum insidiatus fuerit ejus vita, surgensque percusserit illum, & moriatur &c. eripiant eum de loco effugii, & moriatur* *cap. 19. v. 11. & 12.*

102. Sed à n. 94. jam ostendi, *c. cit.* textum, ob expositionum sibi adversantium nimiam varietatem, ad causarum decisionem perperam allegari: eoque non de morte Naturali, vel Asyliæ sacræ privatione agi: vel Proditoriæ duntaxat necis illatæ reorum ab altari abstractionem permitti.

Minùs ad rem facit lex Deuteronomii; quia, ut taceam, quòd eâ memoratus Refugii locus homicidas solum Casuales tueatur, *cap. 19. cit. v. 5.* Jure Decretalium autem Ecclesiasticâ immunitate defendantur homicidæ quicunque, exceptis duntaxat, qui in Ecclesia vel cæmiterio, per Latrocinium, Proditionem

vel Assassinium aliquem necassent, *c. Inter alia 6. c. fin. de Immunit. c. 1. hâc Rubr. & c. 1. in 6.* Ut, inquam, hoc taceam, ea Deuteronomii lex tanquam Judicialis cum Christo in Cruce mortuo expiravit, *c. Translato 3. de Constitut. neque, ut cap. 21. v. 14. à Gregorio IX. c. 1. cit.* etiam ipsa à Legislatore Ecclesiastico unquam fuit resuscitata.

Est etiam, ea veteris Testamenti lex Ecclesiastici Juris vim aliquando obtinisset, & *c. 1. cit.* ex laudati Papæ mente ex insidiis patratæ cædis reo ad Ecclesiæ refugium adeptum fuisset; hoc tamen ad eas patere voluit Gregorius XIV. ex homicidis, ad loca Sacra & Religiosa confugientibus, Ecclesiasticæ immunitatis suffragium nemini denegans: nisi sit latro publicus, homicidium in Ecclesia vel cæmiterio, vel proditoriè aut per assassinum commiserit, *Constit. cit.*

Novissimò tamen etiam istius *Constitutionis* Jure insidiolæ necis patratæ reo sacram Asyliam non patrocinari, contra Orthodoxos DD. TT. & ICT: os plebrosque sustinent Gambacurta *Lib. 5. de Immunit. cap. 28. n. 3.* Marius Italus *Lib. 1. de Immunit. cap. 5. §. 4. n. 3.* Laurent. Matheu *de Re Criminal. controvers. 30.* Hyppolitus Grassetus *Anatome Necis Prodit. §. 9.* & nonnulli alii.

Ratio, quâ singulari suæ Opinioni veritatis speciem conciliare conati sunt, unica est; quòd memoratâ *Constitutione* Gregorianâ Ecclesiasticæ Immunitatis præsidium disertè negetur iis, *Qui proditoriè proximum suum occiderint*: is autem, qui proximum suum ex insidiis & à tergo occupans profertur & interficit, proximum suum proditoriè occidat; cum, ut ajunt, *Proditio & Insidia* synonyma, sive duo ejusdem significationis nomina: & *Per insidias occidere* idem sit, quod *Occidere per proditionem*: neque ad hanc quoad

quoad immunitatis privationem interfit, an per insidias sive, ut ajunt, *Insidiosam industriam* amicus vel inimicus, vel iste sub amicitiae specie, vel aliâ ratione sit interfectus: dummodo non apertâ, sed occultâ, & insidiosâ aggressione incautus, & nihil mali prævicens; eamque ob causam ad sui defensionem hic & nunc impotens sit occisus. Quò singularis suæ Opinionis argumentò, ut istam persuadeant, Proditoriæ necis Gregoriana *Constitutione* exceptum crimen quavis insidiosâ industriâ seu machinatione clandestinâ, etiam nullo amicitiae colore apparente, perpetrari, ostendere atque omnino evincere conantur

106

Primò, ex optimis Linguae Latinae Scriptoribus: T. Livio, qui *Romanae Histor. decad. 3. Lib. 5. cap. 16. Gracchus*, inquit, *fraudem sermoni & rei abesse ratus, è castris profectus duce Hoste in insidias precipitatur. Hostes subito exorti, & ne dubia proditio esset, Flaccus bis se adjungit: tela undique in Gracchum conicuntur.* Ex Cornelio Tacito *Lib. 2. Histor. cap. 25.* ubi, cum narrasset, quòd Vitelliani in insidias precipitati sint, subdit, *Vinctus Praefectus castrorum Julius Gracchus tanquam fratri apud Orbonem militanti produtionem ageret: cum fratrem ejus Julium Frontonem tribunum Orboniani sub eodem crimine vinxissent. Quorum locorum utroque Dolum pro Insidiis, & utramque vocem pro Proditione accipi, ajunt: & quidem priori Duce Hoste seu inimicò.* Ex M. T. Cicerone, qui *Orat. pro Milone*, cum sciret, inquit, *Clodius iter Miloni esse Lanuvium ad flumen prodendum; quòd erat disfavor Lanuvii Milo, Româ subito ipse profectus est, ut ante suum fundum insidias collocaret: quò factò insidias collocatas inimico, & hunc proditum, intelligunt.*

Secundò, ex Jure Civili, quò, in- 107.  
quiunt, imprimis *Produtionem & Insidias* duo ejusdem significationis esse nomina, clarè proditum est *l. Conjurque 4. ff. ad L. Jul. Majest.* ubi istâ teneri asseritur, *Cujus dolò exercitus Populi Romani in insidias deductus hostibusque proditus erit: & clarissimè, l. Capitalium 28. §. 11. ff. de Panis l. Servum 6. l. Servum 7. & l. Ne liceat 8. C. de Delatoribus;* cum servus, qui §. 11. *cit.* domino suo insidiatus dicitur, *l. Servus cit.* ejus Proditor nuncupetur: eodémque supplicii genere, scilicet igni tradi & cremari, qui domino suo insidiatus est, §. *cit.* & ejus proditor, *l. Servum & l. Neque cit.* jubeatur. Servum autem, qui tanquam proditor *l. cit.* igni tradi & cremari jubetur, domini sui inimicum potiùs, quàm amicum Jure cenferi, non minùs clarè insinuari volunt *l. Unius 18. §. 5. & 6. ff. de Q. ubi servi adversus dominum confessio & in ejus caput interrogatio apertè reicitur, quasi profecta ab inimico domestico, juxta vulgatum, Quot servi, tot inimici: & illud, Inimici hominis domestici ejus Michez cap. 7. v. 6. & Matth. cap. 10. v. 36.* Deinde secundum ejusdem Juris textus *l. Ut vim 3. ff. de l. & l. Licet C. ad L. Cornel. de Sicar. & l. fin. §. 1. & 7. C. de Re milit.* homini insidiari est, ejus mortem quarere per technas, artificium, fraudem, machinationem sive occultos dolos: quò modò Proditoriam eadem committi putant.

Tertiò ex ipsa *Constitutione* Grego- 108.  
goriana; istâ enim ex sacro asylo exclusum, *Qui proditoriò proximum suum occiderit*, eundem esse voluit cum eo, *Qui per industriam & insidias occidit proximum suum, & c. 1. cit.* à Gregorio IX. Ecclesiastica Immunitate privatus jam fuit, sive ab eo amicus sive inimicus: & iste sub specie amicitiae, vel aliâ occulta machi-

machinatione fuerit interfectus.

Ne autem hoc sine fundamento asserere videantur, ab utroque Papa ejusdem criminis reo Ecclesiastica Immunitatis suffragium ademptum, probant geminâ ratione. Una est; quod, cum maximè dubium esset, an *c. 1. cit.* sensus disiunctivus sit vel copulativus, sive an à Gregorio IX. is etiam, qui per industriam sine insidiis; vel is tantum, qui per industriam cum insidiis conjunctam occidit, ab Altari evelli jubeatur, dubium hoc resolvens Gregorius XIV. declaravit, eum duntaxat inde avelli justum, *Qui proditorie proximum suum occiderit*, hoc est, per industriam cum insidiis conjunctam. Altera; quod Papa iste in Constitutione sua diserte contestatus sit, se solummodo occurrere scandalis, quæ circa extractiones, per laicos in casibus Jure permixtis factas, sæpe oriebantur: non autem intenderit Juris antiqui correctionem & diminutionem casuum, eò exceptorum, ad criminis defensionem; cum ipse aperte profiteatur, *Se ad terrorem delinquentium & coercenda facinora aliquid ultra id, quod præca illa majorum disciplina & veteris sacrorum Canonum norma præscripserat, in quibusdam casibus, congruâ moderatione adhiberi, permittere.*

109. Quartò ratione; quod, licet ex insidiosa industria secuta cædes inimici Proditoria minus propriè ac strictè sit, quàm ea, quâ amicus, aut amicitia simulatione inimicus interficitur, in proposita tamen Ecclesiastica immunitatis materia Proditionis acceptio lata præferenda sit strictæ; ut in dubio, an reo immunitas suffragetur, istâ privetur potius, quàm protegatur, ut cum Covarruvia *Lib. 2. Var. cap. 20. n. 4.* & Deciano *Tract. Criminal. Lib. 6. cap. 25. n. 14.* novissimè voluit Card. de Luca *Theor. V. & 1. de*

*Immunit. disc. 10. n. 10.* cum propter rationes *cit. Tit. 49. n. 41.* deducas: tum verò; quod Proditionis strictam acceptio- nem lata præferendò, & iis duntaxat, qui amicum, aut inimicum simulatione amicitia occidunt, immunitatis suffragium denegandò inducatur correctio Juris antiqui, *c. 1. cit.* quæ correctio Proditionis nomine latè acceptò, & immunitatis suffragium iis etiam, qui per so- lam insidiosam industriam occidunt, denegandò evitatur: & tanquam odiosa, evitari debet, cum sine incommodo potest, *arg. c. Cum expediat 29. de Elect. in 6. & l. Præcipimus 32. C. de Appell.*

Quintò demum phrasibus receptis **III.** usu magni in Jure nominis DD. Covarruvia *cit. n. 7.* Menoch. *de Arbitr. casu 461. n. 25.* Deciani *Lib. 7. cap. 29. n. 19.* Farinacii *Prax. Crim. q. 18. n. 76. & q. 28. n. 24.* & quorundam aliorum, pro homicida Proditore habenti eum, *Quæ ex vel per insidias, vel insidiosam industriam, incautum & de retro: incautum Enihil sibi præcaventem ab insidiis occidit.* Quorum ita loquentium autoritatem sic extollunt; ut vix non præferant Apostolicæ summorum Pontificum sibi adversantium, præsertim Clementis VIII. cum; quod iste in præsentis Juris articulo contrarium sensisse perhibeatur à Mario *Italo Lib. 1. de Immunit. cap. 5. §. 4. n. 1.* tum verò; quod similia eorum judicia pertinere non videantur ad universalis Ecclesiæ institutionem: eamque ob causam *Non tam spectandum, quid Rome factum, quam quid fieri debeat, secundum textum l. Licet 12. ff. de Offic. Præsid.*

Sed certum hodie omnino est, inimici ex insidiis duntaxat, nullaque amicitia simulatione interveniente, interfecti reo sacre asylie præsidium novissimò Jure Constitutionis Gregorianæ non denegari, ut ex DD. istius Constitutionis **U** editione



editione posterioribus maximò consensu docent T. T. & Canonistæ fere, quotquot Ecclesiasticam Immunitatem ex Instituto plenèque pertractarunt, & Constitutionem illam præ oculis habuerunt: & ex LL. Doctoribus plus quàm sexaginta, apud Sperellum *Decis.* 175. à n. 44. & n. 80. cæterique alicujus nominis & Jurium Ecclesiasticorum æqui æstimatores plerique; ut ipsorum etiam adversariorum confessione Christiani Orbis totius sententia esse videatur.

In eam autem sententiam, ut DD. tantò consensu conspirarent, ratione unicâ, sed solidâ, & pro Neotericorum singulari Opinione deductam evertente, demonstrant; quòd inimicum suum ita occidens Proditoria necis perpetrata reus propriè, & in sensu Constitutionis Gregorii XIV. non sit. Hoc autem planè evincunt.

Primò autoritate duorum istius summi Pontificis Successorum, Clementis VIII. & Pauli V. à Sperello *Decis. cit. n. 68.* relatorum: quorum prioris super homicidii, ex insidiis perpetrati, factò consulti ad Archiepiscopum Panormitanum rescriptum, & memoratâ Constitutionis luculenta declaratio est.

112. *Tua Fraternalitatis nomine nuper nobis expositum fuit, quòd cum superioribus diebus in Civitate Panormitana Carolus Gregorius Innocentius Casta, Scipio Taxis, Othavium Baglivum, & Gerardus Rignus quondam Carolum de Amato Nobilem Panormitanum tormenti bellici brevioris ictibus ex insidiis, nimirum ex cujusdam domo, in quam deliberatò animò dum se receperant & aliquamdiu detinuerant, è fenestra occidissent, statimque ad quandam Ecclesiam fugissent, ibidemque capti, in carcerem tuæ Archiepiscopalis curiæ, juxta fel. rec. Gregorii XIV. prædecessoris nostri Constitutio-*

*nem super immunitate Ecclesiarum editam, reduci fuerint, & ibi etiam nunc sub diligenti custodia detineantur. Cùm autem Curia secularis ministri prædictos carceratos sibi consignari & eorum Curie tradi instanter abs te petant prætendentes, prædictam Gregorii Constitutionem in hoc casu locum non habere. Tu verò super hac re nobis & Apostolicâ sede inconsultus nihil deliberandum esse censueris, sed ad Nos quasdam super dicto casu & super dicta Constitutione dubitantes transmiseris. nobis humiliter supplicandò, ut quid in hujusmodi causa faciendum sit, prescribere dignaremur. Nos itaque, licet omnes prædicti carcerati Ecclesiasticâ immunitate gaudere & frui debeant, nihilominus attentè hujus homicidii qualitate, nec non circumstantiis prædictis & aliis, quæ in eo perpetrando, intervenere, Othavium Baglivum & Gerardum Regium, quorum alter in decimo sexto, alter in decimo octavo ætatis suæ anno circiter constitutus esse dicitur, Ecclesiastica immunitate dignos esse judicamus: ceteros verò ex rationabilibus causis animum nostrum moventibus (Constitutionem Gregorianam, ut ex similibus causis sæpius solet, relaxandò) Curia seculari tradendos censemus, ac propterea Fraternalitati tuæ per presentes injungimus, ut Othavium & Gerardum prædictos Ecclesiasticâ immunitate gaudere debere declares, ac in foro tuo Ecclesiastico retineri facias: reliquos verò tres prænominatos, si tibi tamen prius summarè, simpliciter & extrajudicialiter & illos prædictum homicidium perpetrâsse & comperiantur, Curia seculari prædicta liberè tradas & dimittas, non obstantè prædicta (Gregorii XIV.) & quibusvis aliis Constitutionibus & ordinationibus cæteris, quæ in contrarium facientibus quibuscunque. Datum Rome apud S. Petrum sub annulo*

annulo Piscaroris die 6. Febr. 1597. Pontificatus nostri V. Quibus Brevis Apostolici verbis vanitatis apertè redarguitur n. 110. relata assertio Marii Itali, de Clementis VIII. mente, in hoc juris articulo contraria, testificantis.

113. Secundò, sacris Consultis Romanis seu declarationibus S. Congreg. Super negotiis Episc. & Regular. Proditorum esse negantis eum, qui scelopò occidit inimicum etiam per insidias & à tergo in una Boianensi 6. April. 1612. in una Milevitana 2. Augusti 1619. aliisque n. 124. allegandis; quibus nuperrimè accessit, & in manibus est Responsum Romanum super *Judicio Jurisprudentiæ Civilis*, cujus cunque ex insidiis illatæ necis reos ex asylo excludente, redditum & contra Opinionem & expectationem impetran- tis, disertè asserens, id Bullæ Gregorii XIV. aduersari: ejusque praxin impingere in propositionem ex damnatis ab Innocentio XI. secundam, quæ est: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta Opinionem minus probabilem.*

114. Tertiò ex praxi Tribunalium; cum is, qui inimicum suum ex insidiis quidem, sed non amicitia aliave simili specie deceptum occidit, pro homicida Proditorio non habeatur in supremo Senatu Castellano & Curia Neapolitana, teste M. Ant. Genuensi *Prax. Neapol. cap. 94. n. 2.* & Haunoldo *Tom. 6. de I. & I. tract. 1. n. 219.* talisque non reputetur in ipsius Romanæ Urbis cæterisque Italiæ, imò Christiani Orbis, plurimis tribunalibus, teste ipsomet Covarruvia n. 7. cit. apud Sperell. *Decis. 175. n. 57.* ubi hoc confirmat ex eo; quòd, licet de Proditoria nece convicti, tanquam atrocissimi criminis rei, nullà sanguinis & nobilitatis habità ratione, furcæ infami supplicio ad- dicantur: & si fugam arripuerint, eorum effigies capite inversò cum Proditio-

nis elogio suspendantur, secundùm Jason. in l. Si quis id 7. ff. de Jurisdic. Ti- raquell. de Nobilit. cap. 20. n. 120. Decian. *Lib. 7. cap. 31. n. 5. & 8.* Schrader de Feud. cap. 9. §. 3. n. 66. &c. & inimici in Italia per insidias non rarò interficiantur, in nullum tamen eorum infamè illò supplicio animadversio unquam fiat: nisi factà & fractà pace, aut sub amicitia velamine facinorè perpetràsse convincantur: imò recenti exemplò 1662. Nobilis cujusdam Scenogallienis, qui inimicum per insidias & à tergo occiderat, effigies furcæ jam appensa à S. Congreg. super eo factò consultà, post maturam causæ discussionem, inde amoveri iusta sit; quòd, post factam pacem, novam inter eos ortam inimicitiam, à fratre fuerit legitime probatum.

Hic firmatæ sententiæ comùnè magni robur addet à n. 120. tradenda Proditoria necis vera explicatio, & confutatio pro nova opinione à n. 104. deductæ rationis; hujus certè ea vis non est, ut singularem paucorum pro ista militantium sensum, non dico, persuadeat, sed probabilem reddat; cum Insidias & Proditionem synonyma; & Proditoria necis proximo suo illatæ reum esse, qui inimicum ex insidiis interfecit, non vincat argumentum

Primum, desumptum ex notatione verbi *Prodo*, & ab hoc derivati nominis *Proditio*; quia istorum, quam obrudunt, nova significatio eorum, quos laudant, & aliorum Latii scriptorum usu approbata non est; cum iisdem, quas pro se recitant, sententiis & exemplis luculenter convellatur.

Et à Livio quidem *cit. cap. 16.* Flavius non *Flaccus* caput ejus partis Lucanorum, quæ cum Romanis stabat, Proditor habetur; quòd ad istorum hostes Pœnos defectionem parans & eorum

quæsturus gratiam, Gracchum Romani exercitus Imperatorem, summæ in fide & societate constantiæ simulatione & promissione reducendæ in Romanorum fidem ac societatem totius Italiæ duxerit extra castra, præcipitârîtque in insidias hostium, & cum his subito coortis Gracchum ipse sit adortus. Quò exemplò non simplices, sed amicitia & fidelitatis simulatione testas insidias prodicionem constituisse, planum est: & ne ambi à quoquam posset, ipse Historicus declarat, cum Flavius, inquit, neque transire ipse, neque trahere ad defectionem Lucanos saevis habuit: nisi imperatoris & ejusdem Hospitis proditi capite & sanguine sædus eum hostibus sanxisset. Id ipsum, qui scriptorem hunc pro se allegant, ex ipsa narrationis serie deprehendere facile potuissent, si Gracchum duce Hospite, non, ut ipsi legunt, Hoste seu inimico, in insidias & interitum suum præcipitatum animadvertissent.

Simili modò à Tacito Lib. 2. cit. Gracchus, non Gracchus, à Vitellianis, & Fronto ejus frater ab Orthonianis ideo vincti sunt; quòd ille de Vitelliano, iste de Orthoniano, uterque de eo exercitu, cujus alter castrorum Præfectus, alter Tribunus erat; ac proinde Socius & commilito, de Sociis commilitonibus & Imperatore suo (quorum amicos, non inimicos se palam profitebantur) prodicionis essent suspecti.

Non minùs, quàm isti, contra novam pro antiqua & communi Prodicionis explicatione militat M. Tullius; cujus Oratio Pro Milone ab adversariis non esse lecta videri potest partim; quòd, cum eà Orator totus esset in exaggerandis, & magna dictionis varietate explicandis insidiis, quas à Clodio Miloni inimico suo structas contendebat, nunquam tamen Clodium istius, sed Patriæ duntaxat; quòd hanc clandestinis machinationibus per-

deret, Proditorum nuncuparit: partim; quia ex ea recitatorum verborum, Cum sciret Clodius, iter Miloni esse Lanuvium ad flumen prodendum, lectio depravata: vera autem est, Cum sciret Clodius, iter Miloni esse Lanuvium ad flaminem prodendum, hoc est, Sacerdotem hunc ex officio Dictatoris nominandum, renuntiandum, constituendum; non ad struendas insidias vel Prodicionem: quod Orator ipse declarat, cum non multò post, Scire, inquit, potuit, illò ipso die Lanuvij à Dictatore Milone prodi flaminem necesse esse: & ne Orationis lectio opus esset, Latina Linguæ Vocabularia passim adnotarunt.

Alterum depromptum ex Jure Imperiali; quia Insidias & Prodicionem duobusmodi significationis nomina esse, & quibusvis insidiis inimico structis Prodicionem agi, non probant l. Cujusque cit. verba, Cujus dolò Populi Romani exercitus in insidias deductus, hostibusve, ut vulgata lectio est, sive ut Adversarii legunt, hostibusque proditus est; cum, si eorum sensus disjunctivus, deductioni in insidias Proditio aperte opponatur, & hæc ab illa distinguatur; quia disjunctio verba & sensum disjungit, Bartolus in l. 1. ff. de Condit. & demonstr. Si verò ejus sensus copulativus sit, insidiis exercitus quidem proditus sit, sed ab ipso ejus duce vel milite; qui, cum sub amicorum, civium aut sociorum schemate lateant, exercitum suum deducendò in insidias hostium, his verè produnt; cum, licet non quæcunque & cuiusque, à duce tamen & milite exercitui suo structæ, ac proinde sub amicitia specie latentes insidiæ vera Proditio sint.

Eadem vocabula synonyma, & Insidiatorem quemvis Proditorum esse, non magis eruitur ex l. Capitalium cit. §. II. l. Servum & l. Neque cit. quia servus domesticus & familiaris, domini sui denun-

tiator

estator & insidiator, Proditoribus Jure connumeratur; quod, cum domino fidem, reverentiam, obsequia debeat, & se exhibere palam profiteatur, fide in perfidiam versâ, ejus professionis specie ac simulatione decepti salutem insidiari non vereatur; ut proinde de domino, qui hujusmodi servos, hisque similes domesticos alit, ab Adversariis non male quidem, sed non in rem suam dicatur. *Inimici hominis domestici ejus*, hisque illius Proditores Jure habeantur; cum Proditorum more externis actibus præ se ferant reverentiam, officia, studiumque incolumitatis domini sui; quem perditum volunt animo, & clandestinis machinationibus eunt.

Neque cum his pugnat; quod jus præsumat, servum esse domini sui inimicum; quia inimicitia præsumptioni generali, in ejus conditione fundatâ, prævalet amicitia & fidelitatis specialis, orta ex qualitate domestici, sive ejus in domum & familiam assumptione, per ea, quæ arg. l. *Servus* 99. § ff. de Legat. 3. & Reg. Gen. 34. in 6. tradunt Bartol. in l. *Cum de indebito* 25. pr. ff. de Probat. n. 1. & Menoch. Lib. 1. de Præsumpt. q. 29. n. 7. aut saltem; quod inimicitia in animo latens eâ, quam in domum & familiam recepti verbis & actibus externis præferre solent, reverentiæ, fidei, officiorum simulatione, ut à Proditoribus solet, pallietur: partim verò, quia servo ex præsumptione inimico male aptatur illud, *Inimici hominis domestici ejus*; cum sacro hoc textu fermo sit de parentibus, liberis, fratribus & similibus conjunctis; qui, licet aliàs affectu maxime addicti, & ex præsumptione amici sint, in calamitate tamen belli, vel obfidionis ad se servandos panem aliæque vitæ præsidia, inimicorum instar, sibi mutuo præripiunt: vel propter Evangelium & Fidem in Christum à seipsis maxime dissentiant aut separantur: quorum

sentium priori à Michæa cap. 7. v. 6. posteriori à Christo Domino Matth. cap. 10. v. 36. domesticos inimicos vocari cum S. Hieronymo notat Cornel. à Lapide in *Verf. 6. & 36. cit.*

Cæteræ ll. n. 107. in fine allegatæ Proditiōnis nomen & naturam propriam non attingunt; cum, licet *Homini vitæ insidiari sit Quærere ejus necem per technas, dolos, occultam machinationem*: non tamen *Eum incautum ex insidiis quibusvis occidere*, idem sit, quod *Occidere Proditoris* in verbi istius propria significatione, ut pluries insinuavi & latius ostendam à n. 122.

Tertium, erutum ex Constitutione Gregoriana; quia istâ non quomodocunque structis inimico, sed sub amicitia velamine latentibus insidiis commissa cædis reo ad Ecclesias perfugium, ad easque confugientibus præsidium denegari, argumentis intellectum, præcoci in oppositum affectione non præoccupatum, convincentibus, ostensum est à n. 111. & à n. 122. ostendetur.

Quartum petitum ex ratione; quia, sicut in cæterorum, sic etiam in Immunitatem spectantium Jurium expositione à verborum propria & communi usu recepta significatione non facile recedendum: sic in dubio sacris ac Religiosis locis ad eaque confugientibus favorabili & benignæ interpretationi locum esse, præcipui nominis DD. & ex ipsis adversariis Marii Itali Lib. 1. de Immunit. cap. 2. n. 21. Deciani hac in re sibi contrarii Lib. 3. consil. 80. n. 19. & 22. aliorumque multo frequentiori calculo approbata, Jurique & rationi magis consentanea doctrina est, juxta dicta Lib. 3. tit. 49. à n. 42.

Neque verum est, aut officit; quod strictâ & Ecclesiis confugisque favorabili Proditiōnis acceptione inducatur correctio Juris, cum; quia c. 1. cit. ambiguum

Jus declaratur potius, quam corrigatur ac mutetur: tum verò; quia, ad anterioris etiam liquidi Juris correctionem evitandam Proditionis nomen trahendum non est ad novam, & Gregorianæ Constitutionis publicatæ tempore vix notam & natam significationem, ut probè advertit Card. de Luca: qui, licet in criminoforum ad asyla se recipientium odium eorumque ex his exclusionem, Jura, cum possunt, latè accipi velit, Proditionis tamen nomine quasvis insidias in proximi necem structas comprehendentem significationem apertè rejecit, *Miscell. de Immunit. disc. 9. n. 6.*

119. Quintum & postremum, sive mox subiciendæ Necis Proditoriæ veræ explanationi adverstantes non ignobilium Juris Interpp. phrasès & auctoritas commo-  
giùs excutientur infra n. 132.

### ARTICULUS IX.

## De Homicidio Proditorio.

### SUMMARIUM.

120. Proditorium homicidium aliquando latè & improprie,
121. Aliquando proprie & strictè sumitur.
122. Solùm proprie sumptum privat Immunitate,
123. Spectatò Rescripto Clementis VIII.
124. S. Congregat. declarationibus,
125. Fine Constitutionis Gregorij XIV.
126. Praxi Tribunalium,
127. Et ratione naturæque Proditionis:
128. Cujus vera explicatio auctoritate DD. maximè,
129. Nominis etymologià & primavà significatione,

130. Divinarum Scripturarum exemplis,
131. Et utriusque Juris textibus confirmatur:
132. Vindicaturque auctoritas Clementis VIII.
133. Et Rescriptorum ac Judiciorum Apostolicorum,
134. Optimè interpretantium jus Ecclesiasticæ Immunitatis:
135. Quà non gaudet occisor parentis, familiaris, socij &c.
136. Et inimici post seriam reconciliationem:
137. Et fere etiam, qui aliquem venenò necat.
138. Eà tamen gaudet occidens Clericum vel Religiosum,
139. Procurans abortum & partum exponens:
140. Uti & corivalem aliùmve amulù,
141. Inimicum in ipsius vel sua domo.
142. Familiarem, socium &c. in rixa vel ex impetu iræ,
143. Aliùmve in duello occidens.
144. Eà privatur Proditoriè occidens insidielem:
145. Non etiam fidelem ita vulnerans,
146. Vel in insidiarum ab alio structarum locum deducens.

**P** Roditorii homicidii species, seu 120, potius nominis acceptiones hodie duæ referuntur. Una larga & impropria: quâ Proditoriè occidisse dicitur, quicumque proximi, etiam sui inimici vitæ clandestinâ ejus circumventionem vel occultâ machinatione quacunquè insidiatur, eumque nihil mali prævidentem; adeoque ad sui defensionem hîc & nunc impotentem, aggreditur & necat. Altera propria & stricta, quâ pro- 121, ximus amicus, aut etiam inimicus, non quibuscunquè, sed sub specie & velamine amicitia,

amicitiæ, societatis, fidelitatis, officii sive obsequii exhibendi dolosâ simulatione: vel nullius inimicitiae aut rancoris existentis, vel præcedentis per seriam reconciliationem & amicitiæ instaurationem sublatae, vel promissionis aut fidei de non offendendo datæ fiduciâ incautus, nihilque mali suspicans occiditur: quò modò Joab Princeps Exercitus David Abner, Principem militiae Israël, exhibendò officiosum amplexum, & Amasam Principem exercitus Juda, exosculandò &, *Salve mi frater* dicendò, interfecisse *Lib. 3. Reg. cap. 2. v. 28. & 32.* & à Flavio Lucanorum Principe, summam in fide ac societate constantiam præferente, Gracchus Romani exercitus Imperator idèmq; hospes, in insidiis hostium deductus & obruncatus, à Livio *Histor. Rom. Decad. 3. Lib. 5. cap. 16.* perhibetur.

**122.** Quantumvis autem utròque modò sumpti homicidii Proditorii crimen, sicut atrocissimum, ita severissimâ animadversionis supplicii dignû, obnoxiumque sit, poenis tamen, & Ecclesiasticæ saltem immunitatis privatione, in ejus reos constitutâ, illos duntaxat, qui homicidium propriè & strictè dictâ proditione commisissent, affici, sententia hodie omnino certa, & militantium pro ea DD. tot suffragiis roborata est; ut in dubium vocari sine temeritate amplius non possit, eorûque autoritate cuiuscûq; alteri prævalente oppressi famigerati duo, Urbis quondam, nunc Christiani Orbis totius JCT. i Farinacius & Pignatellus novâ, quam ille *Erax. Criminal. q. 18. n. 76. iste Tom. 1. Consult. 48. n. 4.* secuti aliquando erant, desertâ, veterem verâmq; Proditoria necis explicationem sint amplexi: ille *Append. de Immunit. cap. 9. n. 143. iste Tomo 1. Consult. 175. n. 3. Tom. 2. Consult. 37. n. 8 & 20. Consult. 53. à n. 1. Tom. 9. Consult. 18. à n. 4. &c.* Ad eam autem

sententiam, & Proditoria necis acceptio- nem strictam latæ & impropria in præ- senti materia præferendam, ipsi aliique DD. meritò permoti sunt

Primò *n. 112.* recitatò rescriptò A- postolicò, seu Brevi Clementis VIII. quò hic summus Pontifex necis, ex insidiis, nullò amicitiæ velamine tectis, illatæ reos Ecclesiasticâ immunitate ex Gregorij XIV. Constitutione gaudere, disertè ex- pressit.

Secundò *n. 113.* relatâ gemina ejus- dem sententiæ declaratione S. Congreg. *Super negotiâ Episc. & Regular.* quæ insu- per homicidium, sine præcedentibus ini- micitiis commissum, Proditorium quoad immunitatem dici, ait *in una Consentina 8. April. 1603. & in alia 16. April. 1611.* Ab eadem S. Congreg. *in una Rhegiensî 12. Octobr. 1602. & in Una Boianensî 6. April. 1622.* disertè is vocatur *Proditor,* qui aliquem, cui se tanquâ socium & ami- cum adjunxerat, *in via, nullâ rixæ causâ interveniente, occidit, seu qui dolosè sub amicitiæ colore seducit, ut occidat.* Con- sentit S. Congreg. Immunit. *in Una Bene- ventana 8. Augusti 1637.* quâ in termi- nis asseritur, *ad probationem homicidij Proditorij requiri amicitiæ præceden- tem.* Accedit S. Congreg. Concilii *7. Decemb. 1622.*

Quæ SS. Congregationum, ad Gre- goriana Constitutionis, sensum & cau- larum Immunitatem spectantium deci- siones reddendas autoritate Apostolicâ institutarum, Responsa super eodem arti- culo sæpius, eodèmq; semper modò, nec rarò, Verbò cum Papa factò, reddita utique Juris instar custodienda sunt; eùm *arg. 5. Responsa 8. Inst. de J. N. G. & C.* legis autoritatem adstruentis Responsis Prudentum, quibus non minorem vim & autoritatem ex S. R. E. Cardinalibus, Jurium scientia rerûmq; usu Eminentis- simis, in-

Amis, instituta S. Congreg. habet, ut dictū  
*Proem. à n. 141.* tum verò; quia unifor-  
 mitas rescriptorum ac responforum, super  
 eodem articulo eodem semper modo red-  
 ditorum, inducit styllum seu praxin Cu-  
 riæ Romanæ, Cynus in *l. 1. C. Quæ sit lon-  
 ga Consuet.* Bartolus *ibid. in l. 2. n. 9.*  
 Baldus in *l. fin. Sc.* stylus autem seu pra-  
 xis Curie Jus facit, *arg. l. fin. cit. & c.*  
*Quàm gravi 6. de Crim. falsi,* Anchoran.  
*Consil. 53. Suarez Lib. 7. de LL. cap. 5. n.*  
*5. & Palao Tract. 3. disp. 3. p. 1. n. 3.*

125. Tertio, ipso Constitutionis Grego-  
 rianæ sine: qui fuit, ex dubio variæque  
 interpretationi obnoxio Jure orta Eccle-  
 siastica Jurisdictionis & Immunitatis gra-  
 via præjudicia locorumque & personarum  
 Ecclesiasticarum contemptum removere.  
 Quem finem ut Papa obtineret, id, de quo  
 agimus, homicidium non expressit verbis  
 Juris antiqui, *Si quis per industriam occi-  
 derit proximum suum & per insidias,* quo-  
 rum obtentu & latiori acceptione Eccle-  
 siastica immunitas lædebatur: sed his,  
*Qui proditorie proximum suum occide-  
 rint:* quibus in propria & Gregorii XIV.  
 tempore Urbis & Orbis usu recepta signi-  
 ficatione acceptis, non generaliter per in-  
 sidiosam Industriam quamcunque, sed  
 amicitia, fidei, officii, reconciliationis  
 specie facta in proximi necem machinatio  
 denotabatur & exaudiebatur. Ea autem  
 verba in propria & ejus temporis usu tri-  
 ta significatione accipienda, patet, cum;  
 quia Papa Constitutionis suæ *Dilucidâ  
 declaratione omnem dubitandis & perperam  
 interpretandi occasionem submovere* in-  
 tendit: quod verborum propria & com-  
 muni usu receptâ (non uni alterive dun-  
 taxat notâ novâque) significatione obti-  
 netur: tum verò; quia Regulæ instar est,  
 legum humanarum verba, cum possunt,  
 secundum propriam & communi usu ap-  
 probatam significationem exaudienda, &

*Inter 2. V. Sed neque, de Translat. Episc. l.  
 Librorum 51. §. 4. & l. Non aliter 69. ff.  
 de Legat. 3. Bartol. in l. Librorum cit. n. 10.  
 Menoch Lib. 4. Præsumpt. 62. n. 33. &  
 cit. Suarez Lib. 6. cap. 1. n. 8.*

Confirmantur ista; quia, si verbis,  
*Qui proditorie proximum suum occide-  
 rint,* non illi tantum veniunt, qui amicitia  
 aliæ simili specie deceptum, sed quin-  
 cunque ex insidiis occidunt, Papa à Pro-  
 ditorie occidente perperam distinxisset,  
 & tanquam diversorum homicidiorum  
 reos retulisset Latrones publicos & Assa-  
 sinii reos; cum proximum suum hi & illi  
 ex insidiis aggrediantur; ac proinde ver-  
 bis, *Qui proximum suum proditorie occi-  
 derint,* in Neotericorum sensu acceptis,  
 jam comprehendantur. Quod autem  
 etiam ipsi in proximi necem ex insidiis  
 machinentur, de Latronibus publicis pa-  
 tet ex ipsis Gregorianæ Bullæ verbis, *Sed  
 fuerint publici latrones, qui viatores ex  
 insidiis aggrediuntur:* de Assassinis inde  
 constat; quòd tales dicantur, qui ad in-  
 sidias alicujus Christiani vitæ struendas,  
 eumque nihil mali prævidentem occiden-  
 dum, pretiò aliquem conducunt vel con-  
 ducuntur, Farinac. *Prax. Crim. q. 127. n. 11.*  
 & Gutierrez *Lib. 1. Practic. q. 7. à n. 2.*

126. Quartò, praxi Curiarum in eos dun-  
 taxat, qui proximum amicitia specie de-  
 ceptum occidunt, tanquam necis Proditore  
 illatæ reos, procedentium juxta dedu-  
 cta n. 114.

127. Quintò Ratione; quia homicidium  
 verè Proditorium non datur sine vera  
 Proditione: vera autem Proditio in ami-  
 cum, socium, necessarium: vel sub ami-  
 citia, societatis, officii, fidei de non offen-  
 dendo data specie committitur; cum Pro-  
 ditor propriè sit ac dicatur, qui unum  
 actibus externis, aliud in corde gerit,  
 Bartol. in *l. Perspicendum* 11. §. *Delin-  
 quitur, ff. de Panis,* & sub figmento ami-  
 citia ali-

citiae aliquid adversus alium machinatur, Gigas de *Crimine lese Majest.* Lib. 3. q. 6. ut illi, *Qui ore suo benedicbant, corde vero suo maledicebant*: quibus Psalmi 61. v. 5. verbis & exemplo Judae, qui animo cum Judaeis, corpore & ore cum Christo Domino & Magistro suo, postea osculo tradito, fuit, Proditionem declarat Afflictus *Decis.* 365. an. 54. mores enim Proditoris sunt signa fidelitatis & amicitiae, suavia & dulcia verba proferre, amicitiam externis actibus simulare, & contrarium gerere in mente, clandestinisque actibus machinari, inquit Lud: de Penna in *l. fin. C. de Delatoribus*. Unde, Tribunalium praxi allegata, verum proditorem ex eo, quod, nullam praecedente inimicitiam, offendat, aliquem indicari, *cit.* Decianus *Lib. 7. cap. 3. n. 10.* & ab eo, qui sine diffidatione occidit illum, qui de se confidebat, homicidium proditoris perpetratum cense-ri, cum Joan. Andr. asserit Baldus *Fedor. Lib. 1. cap. 5. n. 16.* & *Lib. 4. Consil. 361. n. 3.* quod loco Proditionis tres species statuit. Unam, quam proditor Princeps & Respublica: alteram, quam Socius vel amicus: tertiam; quam is, qui in fidem receptus est, occidendi vel vulnerandi proditor: ad quas species casus Proditionum, utroque Jure proditorum, omnes reduci facile posse, existimat *cit.* Farinac. q. 18. n. 76. Consonat Clarus §. *Homicidium, n. 10.* homicidium Proditorium aperte distinguens ab eo, quod ex solis insidiis committitur: & hoc quidem ab illo, qui occidendi animo positus in loco, qui ab alio praevideri non potest, improvise advenientem aggreditur & interficit, n. 9. illud autem n. 10. committi asserens ab eo, qui veniens cum aliquo, tanquam socio itineris, nullam praecedente rixam percutit: vel, dum sedet in mensa, aut ei se amicum esse fingit, eum a tergo occidit. Addit Clarus, dictam Bartoli doctrinam ab omnibus

eo posterioribus receptam: eamque ob causam Baiardus in *Adst. ad Clarrum Scit. n. 25.* disertè affirmat, nunquam a se visam inquisitionem de Proditione formari adversus eum, qui inimicum suum etiam retro & per insidias occidit. Eandem inter *Proditionem & Insidias* distinctionem comprobant Lipsius *Lib. 4. Polit. cap. 10.* Beyrlinck *Theatr. Vite hum. V. Insidae, & V. Proditio*, & alii, duo haec crimina explicantes seorsim, & diversis exemplis ex sacra prophanaque Historia depromptis, illustrantes.

Quare leve & vix dignum mentione est, pro nova contra veterem veramque Proditoriae necis acceptionem ex n. 110. relatorum JCT. cum phrasibus & auctoritate petiti argumentum; quia his, sive numerus sive nomina aestimantur, ipsorum Adversariorum confessione potiores sunt, qui homicidium Proditorium explicant cum Bartolo: cui contraria RR. ejus explicatio acceptioque Gregorianae Constitutionis tempore inusitata & vix nota fuit; cum ejus author fuisse perhibeatur ab Adversariis primo loco relatus Covarruvias. Menochius autem & Decianus, quos pro se adducunt, ipsis aperte adversentur. Ille quidem de *Arbitr. casu 361. n. 24. pr.* & in *fine n. 30.* ad Proditionem praeter insidias exigens, *Ut nulla inimicitia vel rixa praecesserit, vel si aliquando praecessit, sit antiqua*, id est, cum tempore antiquata. Iste vero *Lib. 7. cap. 29. n. 19. pr.* & n. 24. pariter exigendum. *Ut quis inquit, proditor dicatur, oportet, ut vel fidem frangat, vel simulatione (amicitiae) insidietur, simulans unum facere, cum aliud habeat in corde &c.* & pro se Bartolum allegat. Non magis adversae parti favet Farinacius; cum, ne Constitutioni Gregorianae adversaretur, cecinerit palinodiam, & doctrinam suam q. 18. n. 28. Covarruviae acceptioni conformatam, reformarit



- formârit in *Append. cap. 9. num. 143.*
128. Atque hanc Proditorii homicidii explicationem comprobant Interpp. & DD. ceteri plerique, ultro fatentibus Adversariis; ut longum eorum catalogum atextere supervacaneum: & id solummodo ostendendum sit, eos Bartolum non, ut avem aves quâdam, & oves ovem prærentem solent: sed divini humanique Juris ductum & veram nominis significationem secutos: quod difficile non est, cum ea conformis sit
129. Imprimis Etymologiæ & primæ vocis significationis; *Prodere* enim, secundum Servium sic dicitur à *Porro dare*, sive *Procul à se abicere*: estque lædere aut infidari, non quomodocunque, sed simulatione amicitia, societatis, officii aut aliquo necessitudinis nomine, secundum Jul. Cæsarem *Lib. 1. de Bello Civili* & M. T. Ciceronem *Orat. 3. in Verrem* apud Brunum *Lib. 3. de Seditiosis cap. 4. n. 3.* Unde ab eodem Oratore Prodi dicuntur Patria, *Lib. 3. de Finibus*, Republicæ & Amicitia, *Lib. 4. Acad. Conjunx Orat. 6. in Verrem*, Amici ad *Q. Fratv. Conscii Lib. 2. Tuscul. Q. Q.* Et à Salustio in *Catilinam Fides*; Parentes à *Lucretio Lib. 3.* Socii ab *Ovidio Lib. 13. Metamorph.* Exercitus à duce suo, à *Quintil. Lib. 7. cap. 2.* Hopes, à *Livio Histor. Rom. decad. 3. lib. 5. cap. 16. ii.* qui cum aliquo militant, à *Tacito Lib. 2. &c.* ut mirum omnino sit, quâ fiducia ab optimorum Latinæ Linguae Scriptorum monumentis in causæ suæ patrociniū aliquid Adversarii deprimant, cum, ut n. 115. vidimus, de antiquissimæ vocis significatione recens ipsorum Opinio iisdem locis & exemplis, quibus eam firmant, luculenter convellatur.
130. Deinde Sacris paginis: quibus Proditionis crimen simulatione amicitia, eive simili figmentō committi, patet; cum Judam, Proditorum omnium pessimum

& exemplar, non aliter repræsentent; de eo enim prophetice conquerens Plaltes Regius; *Homo inquit pacis mea, in quo sperabam, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem*, *Plalm. 40. v. 10. & Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique &c. tu verò homo unanims, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos &c. subintellige, Insurrexisti in me, Plalm. 54. v. 14.* quibus textibus à Regio Vate Judam Proditorem notatum SS. PP. constans sententia est apud Thomam le Blanck in *Psalm. 40. à n. 27. & Psalm. 54. à n. 6.* & veræ Proditionis naturam explicari, tradunt S. Antoninus *Summa p. 2. cap. 22.* & Gerlon *p. 2. Sermon. de Cena Domini*, ubi eam definiens ait, Proditio est fraudulenta læsio alicujus sub amicitia vel officii simulatione: eaque contineri ait duplicem iniquitatem; quia est odium & simulatio; & propterea Proditorem vocat *Familiarem inimicum*, qui simulat officium & avertit detrimentum.

Demum Juri utrique: Ecclesiastico 131. *can. Clericus qui 3. dist. 46.* ubi relatum Concilium Carthaginense IV. Proditionem conjungit Adulationi; quod huic simillima sit, & Proditor adulatoris in modum ei, cui insidias struit, blandiatur, secundum *Glossam in can. cit. V. Proditionibus & Turcrematam ibid. n. 5.* pro exemplo Proditoris, factō perditis, statuentes eum, qui malitiose circumvenit alium & callide seducit, ut in salutis periculum trahat. *Imperiali l. Cujusque 4. ff. ad L. Jul. Majest.* quā illius læsæ reus & exercitus Romani Proditor habetur, cujus tanquam ducis, commilitonis, socii, amici, & propterea non suspecti, dolō malō ille in insidias est deductus: *l. Omne 6. §. 4. l. Proditores 7. ff. de Re milit. & l. fin. C. Quæ res export. non deb.* Quibus exploratores, qui à nobis, inter quos tanquam

tanquam socii & commilitones versabantur, ad hostes transeuntes, iis secreta nuntiant, Proditores: & his proximi dicuntur, qui eos armis instruunt, *l. Servum 6. C. de Delatoribus*, ubi servus, qui dominum suum defert, gravissimis Proditorum pœnis subicitur, utique tanquam simulator fidelitatis, quam illi, tanquam domesticus, debebat & callidè simulabat; ut, sicut Proditoribus ceteris, sic ipsi quoque congruat illud, *Inimici hominis domestici ejus*, quod ex Michæ cap. 7. & Matth. cap. 10. Adversarii allegant.

132. Cæterum non immeritò quis miretur, n. 110. non obscurè se prodentem auctoritatis Clementis VIII. quasi hac in re sibi non constantis, depressionem, partim; quia Marii Itali de istius Papæ sensu contrario testimonium falsitatis luculenter convincitur; cum fide multò dignius sit testimonium Farinacii, qui eo tempore Fiscalis Romanus super factò illo Clementem informavit, & hunc super præfenti Juris articulo vivæ vocis Oraculò pronuntiantem audivit, ut ipse perhibet in *Append. de Immunit. cap. 9. n. 143.* partim verò; quia teste Sperello *Decis. 175. n. 68.* cum Clemente VIII. qui tertio post Gregorium XIV. mense sedere cepit, idem sensit Paulus V. qui etiam ipse tertio post Clementem mense sedere cepit: eorumque sensum tenuisse Successores cæteros, satis superque docent tot in eandem sententiam conspirantes, & ipsi plerumque consensu editæ SS. Congreg. declarationes.

133. Minus quàm hoc assequor, quâ ratione, quòve sensu ex *l. Licet 12. ff. de Offic. Præsid.* in hujusmodi casibus, non quid *Roma*, à Papa causam Ecclesiasticam decidende, fiat: sed, quid fieri debeat, *speciandum*, in rem præsentem asseratur; cum enim ex una, Romanus Pontifex Canonum Ecclesiasticorum conditor, *can. Sunt*

*quidam, 25. q. 1. c. 1. c. Ecclesia 10. de Constit. & c. Significasti 4. de Elect.* omniumque, ad Ecclesiæ fortè quomodocunque pertinentium causarū supremus iudex sit, *can. Si Papa 6. dist. 40. can. Pater 10. can. Nemo 13. q. 3. & c.* ut cum ceteris Orthodoxis procul dubiò etiam pars adversa agnoscat: ex altera verò parte, *Unde Jus prodit, interpretatio quoque procedat, c. Inter alias 31. de Sent. Excom. & c.* Sicut ille solus legum Civilium esse debet interpretes, qui eis Jus & auctoritatem imperitur: ita ille solus habeat jus interpretandi Canones, qui habet potestatem condendi eos, textus est § *Ex his omnibus, post can. Sicut 11. q. 1.* Glossa in *c. Cum venissent 12. V. Judicari, de Judiciis & ibi Innocent. V. Per alios, Panormit. n. 3. & Decius n. 3.* Cum, inquam, hæc ita sint, 134. à Papa publicatæ ejus, de qua agimus, Constitutionis interpres optimus utique ipse Papa est: proindeque ipsius Apostolicis tam judiciis quàm rescriptis standi: eaque saltem, cum Canonis seu Constitutionis mentionem faciunt, & quis eorum sensus sit, exprimunt, legis instar custodienda erunt, *arg. c. Cum venissent cit. & c. In causis 9. de Sent. & re judic. Si enim, cum Imperialis Majestas causam cognitionaliter examinavit & sententiam dixit, omnes omnino iudices, qui sub imperio sunt, sciunt, hanc esse legem non solum illi cause, pro qua producta est, sed & omnibus similibus, tenor est l. Si Imperialis 20. pr. C. de LL. ad inferiorum quoque Prælatorum & iudicum institutionem pertinebit, & in similibus causis Canonica sanctionis instar observandum erit iudicium & rescriptum Apostolicum de inimici cade, ex insidiis & à tergo perpetrata, præviâ accuratâ cognitione emanatum, saltem id, quò, ut *suprà n. 112.* recitatò Brevi Clementis VIII. *Illius reos omnes, secundum Constitutionis Gregorianæ Jus nominatum**

vissimum, Ecclesiastica immunitate gaudere & frui debere, est expressum: quodque tot uniformibus SS. Congregat. declarationibus receptum est, per ea, quæ arg. c. In causis & l. Si Imperialis cit. cum Panormit. in c. cit. n. 4. Felino n. 3. & aliis, à Barbofa in c. cit. n. 3. relatis, tradit Menoch. Lib. 1. de Presumpt. q. 1. n. 27.

Ex Proditorii homicidii veteri veraque, & Gregorianæ Constitutioni, ejus reis Ecclesiasticæ immunitatis suffragium deneganti, conformatâ explicatione pro praxi

135. Infertur primò, immunitatis illius præsidio non gaudere, qui parentem, conjugem, dominum, familiarem, contubernalem commilitonem, socium mensæ vel itineris &c. nullâ inter eos præcedente rixâ vel inimicitia; atque idcirco nullam metuendi causam habentes, deliberatè occidit; quia verè Proditor est, quomodocunque id faciat, ferrò aut venenò, prout à S. Congreg. Card. Trident. Interpp. declaratum testis est Del bene de Immunit. cap. 16. dub. 20. f. & n. 2.

136. Infertur secundò, eòdem præsidio non defendi, qui inimicum in speciem ferriò reconciliatum, rancore autem in animo remanente, aut postea redeunte, occidit, saltem si eum exterius non manifestavit, & alter facilè rediturum rationabiliter non potuit suspicari; quia amicitia inflaurata & reconciliationis specie deceptum, sibi que præcavendi causam non habentem; ac proinde proditorie interfecit, Farinac. Lib. 2. Consil. 168. n. 75.

137. Infertur tertio, eòdem privatum, qui proximum suum necat venenò: quod, licet frequentissimò DD. calculò receptum & à S. Congreg. Concilii 3. Decemb 1632. declaratum, testis sit Pignatell. Tom. 9. Consult. 37. n. 13. locus tamen imò opus est distinctione inter duos calus. Unum, quò venenò dilutam potionem præscribit

Medicus, parat Pharmacopæus, vel emplastrum eò infectum adhibet Chirurgus, eòve modò hospes, conviva, domesticus vel amicus alius, vel sub amicitia, benevolentia, officii specie inimicus necatur. Alter, quò hostis aliusque inimicus armis, toxicò imbutis, veste vel alimentis, venenò infectis, interficitur; cum enim venenò occidenti Ecclesiasticæ immunitatis suffragium denegetur ratione Prodicionis: istâ autem illata necis reus non fit, qui nec amici, neque sub amicitia specie inimici vitæ insidiatus est Pignatellus cit. Consult. 18. priori: non etiam posteriori casu Ecclesiasticæ immunitatis suffragium venefico est ademptum. Unde hoc casu ad Ecclesiam confugientis venefici extractionem non statim decernendam: & saltem, cum de Prodicionis qualitate ex circumstantiis non constat, Papam consulendum, rectè monet Farinacius Appendic. de Immunit. cap. 9. n. 142.

Inferunt quartò Riccius in Praxi p. 138, 2. Decis. 209. & Curtell. de Immunit. Lib. 1. q. 24. & alii, Immunitate non gaudere occisores Clericorū & Regularium, cum; quòd tales incurrant excommunicationem Can. Si quis suadente 17. q. 4. tum verò; quòd, saltem si in sacris constitutos & Sacerdotes præsertim interficiant, Parricidæ sint, arg. can. Quis dubitet 9. dist. 97. ubi Sacerdotes Christi fidelium non solum magistri, sed patres quoque (adeoque eorum interfectores) Parricidæ appellantur: Parricidas autem ex asylo sacro excludi, paulò ante sit insinuat. Verum, quia ex una, hujusmodi occisores Parricidæ proprie non sunt, ut probè advertit Delbene cap. 16. cit. dub. 24. f. 21. n. 4. atque insuper sola qualitas Parricidii, Præsertim in rixa, aut præcedente inimicitia perpetrati, ex asylo excludendi vim non habet, Barbofa Lib. 2. Jur. Eccles. cap. 3. n. 95. Clericorum aut Regularium alicujus

alicujus occisori ad Ecclesias per fugium non denegari, cum Giurba *Confil.* 70. n. 9. rectè docent *citt.* Farinac. *cap.* 7. n. 14. & Del bene *f.* 21. n. 1. quòd eorum cædes Proditoria propriè non sit: in pœnalibus autem, & præsertim in privatione immunitatis, canonum, legùmque verba strictè & propriè sint accipienda, *arg. Reg. Odiæ* 15. in 6.

139. Infertur quintò à Remigio de Gony de *Immunit. fallent.* 14. immunitate Ecclesiastica privati procurantes abortum foëtus animati: quibus Farinacius *cit.* *Append. cap.* 9. n. 139. addit matres, quæ à natura sibi inditi amoris in proprias proles oblitæ partus suos exponunt, aut aliò modò occidunt; quòd in abortùs procuracione & infantis expositione interveniat malitia Proditoris; cùm foëtus & infans impiæ matris & scelesti patris infidias nec prævidere valeat, nec præcavere. Contrarium tamen verisimiliùs defendunt Fran. Leo *Theaur. Fori Eccles.* p. 1. *cap.* 13. n. 25. & Bonacina *disp.* 3. q. 7. de *Immunit.* p. 6. §. 3. n. 8. quòd ejusmodi homicidium, etsi non solùm ab omni humanitate, sed à ferarum etiam belluarum indole sit alienum, Proditorium tamen propriè & strictè non sit; cum Proditio propriè dicta non cadat in personam infantis; quippe quæ, tanquam rationis usu destituta, sicut deiepere, sic etiam alterius, aliud verbis, aliud animò gerentis, fidem sequi & decipi non possit.

140. Infertur sextò, Ecclesiasticà immunitate defendi, qui corrivalem, competitorum, æmulum casu occurrentem repente aggreditur, aut ex infidiis occupatum necat; quòd in casu obvii præmeditatio: in corrivalis aut alterius æmuli cæde, ex infidiis facta, amicitia, & illius species, & ad Proditoria necis constitutionem necessaria qualitas, fere de-

sideretur.

Infertur septimò, ejusdem immunitatis suffragiò gaudere, qui inimicum in propria ipsius domo, aut in suam alicujus debiti exigendi vel negotii transigendi causâ venientem, etiam inermem atque incautum aggreditur & occidit; quia talis cædes, etsi sæpe præmeditatum, propriè tamen & strictè Proditorium homicidium non est, hòc ipsò; quòd sub amicitia vel reconciliationis specie non sit perpetratum, ut præter alios novissimè sentit Card. de Luca *Theatr. V. & I. de Immunit. disc.* 9. n. 8. ubi quendam bonorum administratorem, quò suum in administratione successorem, rationum exigendarum causâ aedes suas frequentantem, clam occiderat, à Proditoria necis perpetrata crimine absolvit; & propterea, ex Ecclesia, ad quàm confugerat, extrahi invitum non posse, resolvit.

Infertur octavò, ejusdem præsidium 142. non ademptum ei, qui quemcunque etiam contubernalem, amicum, consanguineum, commilitonem, socium occidit in rixa subito coorta, vel injuriâ, verbò aut factò illatâ, ad iracundiam commotus; quòd tale homicidium non sit præmeditatum: id autem, quod præmeditatum & deliberatum non est, nec Proditorium sit; cùm istud præviæ deliberationis qualitatem involvat ac supponat, *citt.* Farinac. q. 18. n. 73. & Pignatell. *Tom. 2. Consult.* 39. n. 17.

Infertur nonò, eòdem non privatum, qui alterum provocatum occidit in duello; quia nimis clarum est; quòd id non faciat proditorie, Farinac. *cit. cap.* 7. n. 171. Contrarium tamen sentit Barbosa *cap.* 3. *cit.* n. 101. eâ ductus ratione; quòd duellantes incurrant excommunicationem & Ecclesiasticæ sepulturæ privationem, ex decreto S. Synodi Trident.

X ;

Sess. 25.

*Sess. 25. cap. 19. de Reformat.* sed ratio-  
nis istius exigua vis est; quia excommu-  
nicatos quoque Immunitatis suffragio de-  
fendi, patet ex dictis *Lib. 3. tit. 49. n. 78.*  
& istius ademptionem non infert pri-  
vatio sacra sepultura, Ambrosin. *de Im-  
munit. cap. 8. n. 12. & cit. Del bene dub. 20. f. 6. n. 2.*

144. Infertur decimò à Diana *p. 4. tract. 1. resol. 46.* eòdem defendi, qui quo-  
modocunque occidit infidelem; quòd hic  
non sit proximus noster; cùm sit extra  
Ecclesiam: & nobiscum non communi-  
cet in Fide ac Sacramentis. Sed ratio hæc  
nimium probat; cùm ex ea pronum sit  
inferre, eòdem defendi, qui sub amicitia  
specie occidit hæreticum, vel alium  
peccatorem; quia iste in Gratia & Cha-  
ritate: ille insuper nobis non communi-  
cat in Fide. Quare meliùs Farinac. *cap. 8. n. 120.* cuiuscunque hominis etiam in-  
fidelis cæde, amicitia specie illatâ, Im-  
munitatis præsidium amitti docet; quòd  
etiam infidelis proximus noster sit; cùm  
eamdem nobiscum naturam participet; i-  
deoque præceptum de proximo, sicut  
nos ipsos diligendo, ad eum quoque se  
extendat, Palao *Tract. 11. disp. unic. p. 9. n. 31.*
145. Infertur undecimo, eadem gaude-  
re, qui proximum proditoriè vulnerat,  
eique necandi animò venenum præbet, si  
mors non sequatur, Farinac. *cit. cap. 9. n. 145.* quia Constitutio Gregoriana, uti  
& *c. 1. hic* utuntur verbò *Occiderit*, quod  
est temporis præteriti perfecti, & deno-  
tat actum perfectum & consummatum,  
*l. 1. §. 1. ff. Quod quisque jur. in ale. Sc. Gellius Lib. 7. Noct. Attic. cap. 17. & Baldus in l. Damni 18. §. Sabini 11. ff. de Damno infecti.*
146. Infertur duodecimò à Diana *p. 6. tract. 1. resol. 12. & cit. Del bene dub. 20. n. 8.* eòdem gaudere, qui aliquem dedu-

cit ad locum, in quo eum ab alio præ-  
vider occidendum; quòd, licet Prodi-  
toriè, tamen non physice, sed moraliter  
duntaxat occidat: *Constitutio autem Sc. 6. 1. cit. de nece physice, sive propria a-  
ctione illatâ, sint exaudienda.* Contra-  
rium tamen æquè probabiliter sustinet  
*Peregrin. de Immunit. cap. 7. n. 9.*

## ARTICULUS X.

De Crimine Assas-  
sinii.

## SUMMARIUM.

147. *Assassini olim soli Infideles:*  
148. *Hodie etiam sunt Fideles pretiò  
conducti,*  
149. *Vel aliquem conducentes ad oc-  
cidendum Christianum, sunt.*  
150. *Eorum crimina atrocissimum,*  
151. *Pænæque Ecclesiastica gravissimæ,  
sunt:*  
152. *Privatiòque Ecclesiastica Immu-  
nitatis in eos,*  
153. *Eòsque recipientes, defendentes vel  
occultantes constituta.*  
154. *In foro etiam Seculari variè pu-  
niuntur.*  
155. *Immunitate gaudet solâ spe pretiò  
occidens,*  
156. *Eòque etiam acceptò, si mors non  
sequatur.*  
157. *Hic tamen verius in asylo tutus  
non est.*  
158. *Assassinium pretium modicum;*  
159. *Et promissio incerta & generalis  
inducit:*  
160. *Non tamen facta ad occidendum  
Paganum vel Judeum,*  
161. *Aut ad Christianum solùm vulne-  
randum, deformandum &c.*  
Assassini

147. **A**ssassini olim dicebantur Populus infidelis, Phœnicii ad sitis montibus & scopulis circumdatus: cujus Religio, Fideique dogma præcipuum erat, observare Principis sui nutus & imperia, præsertim in trucidandis Principibus & Magnatibus Christianis: quò modò istorum multos interfectos, in c. 1. in 6. testantur Glossa & Holtiensis: & missos ex Oriente in Galliam ejusmodi sicarios, qui mortem S. Ludovico Regi Christianissimo inferrent, Odoric. Rainald. ad Annum Christi 1236. n. 46. refert. Hujusmodi autem sanguinolenta imperia si exequerentur sicarii, in hac: si executionem tentandò occumberent, in altera saltem vita beatos se fore, sicut vanâ, sic firmissimâ persuasione crediderunt, Jacob. Vitrac. *Hist. Oriental. cap. 14.* & Rainald. ad Annum Christi 1257. n. 60.

148. Hodie vocabulò ab ipsis translato & significatione extensâ Assassini vocantur quicumque, tam fideles quàm infideles, qui pecuniâ aliâve re pretiò æstimabili datâ vel promissâ aliquem, cujuscunque statûs & conditionis, Christianû, non præcaventem, de alterius mandato occidunt ( ut in Italia solent sicarii, qui Bravi dicuntur ) vel etiam occidi mandant, ut in c. 1. cit. DD. passim notant; quantumvis enim ejus textus de Infidelibus & Mandatariis loquatur, communi tamen sensu & usu ad fideles & mandantes extenditur, teste Farinac. *Prax. Criminal. q. 123. n. 19.* Guttierrez *Pract. Lib. 3. q. 7. n. 4.* & Pignatell. *Tom. 9. consult. 43. n. 4.*

150. Esse autem Assassini crimen ex atrocissimis, probè advertit Innocentius IV. propter horrendâ inhumanitatis & detestandâ, in eoque prædominantis excessum, id *Scelus execrabile*, nec immeritò appellans; cum in eo, qui in alicujus fide-

lis caput percussorem emere non veretur, voluntatem Christiani nominis obcæcâ tam odio & sanguinis siti exæstantem: in sicario ferinam immanitatem & cupiditatem lucri insatiatam prodat; ut mirum non sit, à memorato Papa c. 1. cit. extremæ ultionis pœnas in ejus reos constitutas: quarum

151. Prima est excommunicatio, quæ ipsò factò & ante omnem sententiam incurritur: verisimilius tamen reservata non est, Joan. Andr. in c. cit. n. 5. & Farinac. q. cit. n. 11.

Secunda, depositio à dignitate, honore, Ordine, officio & beneficio: quæ, licet ipsa quoque ipsò factò incurrat, sententiam tamen, non incursûs pœnæ, sed criminis declaratoriam exigit, ut beneficia &c. reo actu auferri possint, Hostiens. in c. cit. n. 36. cit. Farinac. n. 17. & Suarez de *Censur. disp. 23. f. 5. n. 46.* id desumentes ex verbis, *Postquam confiterit, aliquem scelus tam execrabile commisisse.* Eâ autem declaratione factâ Assassini, tanquam criminis publici rei, infamiâ notati intelliguntur, Barbosa in c. 1. cit. n. 13. & cit. Pignatell. n. 66.

Tertia est diffidatio perpetua à toto populo Christiano; ut, saltem post sententiâ criminis declaratoriam, Assassini, perduellionis rei instar, à quolibet privato impune offendi valeant & occidi, eorûmque bona à consanguineis proximioribus aut fisco occupari, Sylvester V. *Assassinus n. 3.* & cit. Farinac. n. 10.

Quarta est irregularitas, in homicidii vel mutilationis injustæ per se vel alios commissæ reos constituta, can. *Si quis viduam 8. dist. 50. c. Sicut 6. & c. fin.* suprâ à n. 53. declarata.

152. Quinta, privatio Ecclesiasticæ Immunitatis, ut Assassini laici, ad Ecclesias vel Monasteria confugientes, Seculari curiæ reposcenti tradendi sint ex consuetudi-

ſuetudine, *c. 1. cit.* ſic interpretante, & Conſtitutione Gregorii XIV. *Lib. 3. tit. 49. à n. 25.* relata: ſi autem clerici fuerint, poſt ſententiam criminis declaratoriam in eos, quaſi omni privilegio clericali nudatos, procedere valeat curia ſecularis, *Gutierrez cit. q. 7. à n. 23.* & Pignatell. *n. 68.* Quod tamen de clericis negat Barboſa *in c. cit. n. 14.*

153. Eadem poenæ ab Innocentio IV. porriguntur in eos, qui Aſſaſſinum ſive eum, quem ad necem Chriſtiano inferendam pretio conductum ſciunt, receptaverint, vel defenderint, vel occultaverint: eade receptione, deſenſione vel occultatione verè cauſa fuerint necis per illum illata, *cit. Farinac. à n. 29. Gutierrez n. 57. & Pignatell. n. 16.*

154. Quantumvis autem communi Jure Imperiali, & ipſa etiam Ordinatione Caroli V. ulla ſpecialis poena in Aſſaſſinos conſtituta non extet, Tribunalium tamen uſu & locorum ſtatutis non ſimplici mortis poenâ afficiuntur: & alicubi quidem equi caudæ alligati ad ſupplicii locum rapi, vel præviâ uſultatione plecti capite; alibi ſubiici rotæ, vel huic in altum erectæ punitorum membra iniici, impletive: & rurſum alibi laqueo præfocatorum cadavera in fruſtra diſſecari: & demum alibi, quoad punitionem, publicis latronibus æquiparari conſueverunt; quod iſtorum inſtar ad hominis interemptionem lucri cupiditate ſint inducti, *Placha Lib. 1. de Delict. cap. 19. n. 5. Clarus §. Aſſaſſinum, n. 3. Carpozovius Pract. Criminal. q. 18. à n. 13. & 37.* Hæc Jure aut praxi ſatis recepta.

155. Dubium autem eſt primò, an Aſſaſſinii poenis obnoxii ſint, & Eccleſiaſtica immunitatis ſuffragium amittant, qui ſolâ ſpe præmii aut lucri obtinendi aliquem occidunt. Ratio dubitandi eſt; quòd tales Aſſaſſini habeantur per proclamata

Urbis, *Farinac. cit. q. 123. n. 39.* eorumque inſtar Neapoli plectantur, qui ſolò placendi ſtudio occidunt, *Novarius Q. 2. Forenſ. p. 1. q. 52.* Verùm, ſi mandatum aut promiſſio non interveniat, neque hunc neque illos ex aſylo excludi, & Jure latis poenis teneri, ex diſtis conſtat; quòd ſine mandantis & mandatarii conſenſu & pecunia vel mercede, iſtiſque promiſſione propriè dictum Aſſaſſinum non detur, *Stephan. Gratian. Diſcept. cap. 598. n. 12. Guazzinus Reor. Deſenſ. 1. cap. 13. & Sperellus Decif. 102. à n. 7. præſertim n. 12. ubi multis DD. relatis, Corpus delicti, in hoc crimine probandum, conſiſtere, ait in tractatu ſeu mandato ab uno dato, ab altero acceptato, mediante pecuniâ aliâve re pretio aſtimabili, aut iſtius promiſſione.*

Dubium ſecundò eſt, an talis immunitate priveretur, & relatas poenas incurrat, etiamſi Chriſtiani hominis mors non ſequatur. Id enim affirmant *cit. Placha cap. 19. n. 24. Gutierrez q. 7. n. 54. Farinac. q. 123. n. 104. & n. 106. & Gratianus n. 6.* & deſumunt partim ex *c. 1. cit.* ubi non ſolum, qui Chriſtianum aliquem interfecerit: ſed & qui eum interfici mandaverit, tanquam reus Aſſaſſinii plecti jubetur, *Quamquam mors ex hoc forſitan non ſequatur*, ex trita & Curiarum uſu recepta Regula, quâ dicitur, in atrociffimis, ſi quis ad actum proximum devenit, eum poenâ delicti conſummatis, etiam effectu non ſecutus, plecti, *arg. l. Si quis, non dicam §. C. de Epifc. & Cleric.* quam *Farinac. l. cit.* pluribus firmat, & in Aſſaſſinio procedere docet cum *Menochio de Arbitr. caſu 360. n. 42. & Covarruvia in Clem. Si furioſus p. 2. pr. n. 6. & 9.* Confirmatur, quoad privationem Immunitatis, ex contextu Conſtitutionis Gregorianæ; quia iſta, ubi in homicidio actum perfectum exigit, id expri-

fd exprimit, vg. *Qui proditorie proximum suum occiderint*: in Affaffinio autem solum exigit, ut quis ejus criminis sit reus: ad quod juxta dicta *c. 1. cit.* non exigitur; ut actus perfectus & caedes sit consummata.

Negativam tamen sustinent Gomez *Tom. 3. Var. cap. 3. n. 11. & 30.* Diana *p. 1. tract. 1. resol. 18.* Sperellus *cit. Decis. 102. à n. 25.* & Pignatell. *cit. Consult. 43. à n. 9.* & eruere nituntur ex *cit. Constitutione*: quæ crimina aliqua excipiendò semper ad supremum eorum gradum respexisse videtur, etiam antiqua Jura & communes DD. Opiniones corrigendò: & nulli alteri delicto, nisi consummato, sacræ immunitatis suffragium adimit. Unde idem dicunt de Affaffino, quem cæteris jungit per particulam *Et*, quæ inter similia aut æqualia poni, & partem dubiam per aliam certam declarare solet, *l. 1. ff. de Reb. dub.* Menoch. *de Arbitr. Lib. 1. q. 7. n. 35.* Neque, ut inquirunt, obstat *c. 1. cit.* quia istius textus loquitur de infidelibus: & licet consuetudo ejus dispositionem extenderit ad Affaffinum fidelem, eam tamen non extendit quoad poenam Ordinariam, infligendam delicto non consummato. Imò universalis, non Italiæ duntaxat, sed Christiani Orbis totius usu, Affaffino, etiam cum ad actum proximum devenit, non Ordinariam, sed mitiorem poenam extraordinariam imponi, *cit. Gomez n. 11. & Farinac. n. 16.* tradunt; quæ Generali consuetudine omnia Jura, conatum plenæ poenæ delicti consummati, correctæ esse asserit Bartol. *in l. Divus 14. ff. de Sicariis & Speculat. Tit. de Accusat. §. 1.* Addere his lubet doctrinam Clari *§. fin. q. 92. n. 2.* asserentis, etsi iudex conatum impunitum relinquere regulariter non debeat, nihilominus quando lex aut statutum eum puniri Ordina-

riâ poenâ specialiter non jubet; eâ reum, nisi effectu secutò, non plestendum: quod superioribus annis in Bavaria nostra observatum, perhibet Haunold. *Tom. 6. tract. 2. n. 178.* licet ipse in crimine Affaffinii conatum & actum saltem proximum, etiam morte non secutâ, poenâ Ordinariâ plecti *n. 129.* cum Deciano *Tract. Criminal. Lib. 6. cap. 30. n. 13.* & ad privationem Immunitatis inducendam sufficere, verisimilibus existimet *ibid. n. 229.* cum Bonacina *Tom. 2. disp. 3. q. 7. p. 6. §. 5. n. 6.* Barbosa *cit. cap. 3. n. 97.* Farinac. *Append. cap. 8. n. 128.* & Palao *Tract. 11. disp. unie. p. 9. n. 39.*

Dubium tertio est de pretio dato vel promisso: ad quod, ut Affaffinum constituat, Farinac. *cit. q. 123. n. 43.* & Diana *p. 1. tract. 1. resol. 11.* exigunt

Primò; ut sit notabile five in magna quantitate, ex ratione; quòd aliàs non censetur esse causa criminis tam atrocis, eò ipsò; quòd res exigua non videatur habere vim, animum ad id perpetrandum movendi. At melius Haunold, *l. cit. n. 222.* distinguit; vel enim rei exiguæ præstatione vel promissione facilius ad occidendum inductus fuit: vel, quòd absque eo ex alio motivo constituerit occidere, eo inductus non fuit? Si prius, quantumcunque exigui valoris fuerit, sufficit ad Affaffinum & privationem immunitatis: imò pretii parvitas potius auget, quàm minuat delictum; quòd majorem malitiam & crudelitatem arguat in occidente, sicut juxta communem sententiam malitiam auget in Simonia, Palao *cit. p. 9. n. 35.* & Del bene *cit. cap. 16. dub. 21. f. 1. n. 10.* Si posterius; (quòd, cum res data vel promissa exigua est, in dubio præsumitur) tunc non constituet Affaffinum, ab Ecclesiis excludendum: quòd fortassis solum voluerunt *esse, Farinacius & Diana,*

Secundò

X



159. Secundò iidem exigunt; ut pretium sit certum & specificum; quod incerta & generalis promissio, v.g. quòd in occurrente necessitate non sit defuturus, nullam pariat obligationem: eaque stante, actio gratis fieri censeatur, prout etiam docent Baldus *Consil.* 383. & Baiard. ad Clarum §. *Assassinium* n. 7. Alii tamen quamcunque pretiò æstimabilem promissionem seriò factam, licet generalis & incerta sit, si eà sicarius ad occidendum principaliter motus sit, Assassinium constitutere volunt, & in Concilio Neapolitano decisum, asserunt apud *cit.* Del bene n. 12.

Tertiò requirunt; ut pretii datio sive promissionis executio sit in potestate promittentis; ideoque ad Assassinium insufficientem existimant promissionem, de filia matrimonio iungenda interfectori. Sed verius est, etiam tali promissione, si eà ad necem proximo inferendam sicarius permotus sit, assassinium constitui. Ratio est; quia etiam talis promissio æstimabilis est: & secutà nece inducit obligationem adhibendi conatum & diligentiam, ad matrimonium filiaè persuadendum, Decianus *l. cit. cap. 3. n. 16. in fine*, & Palao *p. 9. cit. n. 34.*

160. Dubium quartò est de eo, qui occidit paganum vel Judæum. Quem, si pretiò conductus sit, perinde ut Christiani hominis interfectorem, ex alylo sacro excludunt, Farinac. *cit. cap. 8. n. 120.* Marius Ital. *Lib. 1. de Immunit. cap. 9. §. 4. n. 20.* & Pignatell. *cit. Consult. 43. n. 13.* Moventur paritate cum eo, qui talem proditoriè occidit; hunc enim Alysò non defendi, dictum est n. 144. quòd proximi nomine veniat etiam infidelis: & sicut respectu Proditoriaè, sic etiam respectu cædis per Assassinium commissæ infidelitas sit qualitas merè accidentalis. Sed de rigore Juris verius est con-

trarium: quod cum Claro §. *Assassinium* n. 2. & Covarruvia *Lib. 2. Var. cap. 29. n. 10.* & communi atque in praxi recepta sententia defendunt Ambrosin. *de Immunit. cap. 7. n. 12.* Guazzin. *Reor defens. 1. cap. 38. n. 42.* Palao *cit. p. 9. n. 35.* Haunold. *cit. Tract. 1. n. 225.* & Corneus *Lib. 1. Consil. 249. n. 21.* ubi ait, clericum quendam Assassinatùs pœnam evasisse; quòd ab ipso ita interfectus non fuerit Christianus. Ratio est; quia, istius duntaxat cæde propriè dictum assassinium committi, patet ex *c. 1. cit. verbis*, *Quicumque quempiam Christianorum* (quorum saluti & incolumitati consulere *c. cit.* Innocentius IV. intendit) per prædictos Assassinos interfici fecerit. Neque refert; quòd Christiani mentionem non faciat Bulla Gregorii XIV. quia nihilominus Assassinium in *c. 1. cit.* sensu accepisse, censetur, Haunold. *cit. n. 225.*

Neque hac in re paritas est cum homicida Proditorio; quia hunc immunitatis suffragiò privans, tam *c. 1. hâc Rubrica* quàm *Constitutio* Gregoriana, utitur verbis: *Qui occiderit proximum suum*: quæ verificantur in infideli: non etiam *c. 1. in 6. disertè* loquens de nece illata Christiano. Rectè tamen hoc locò DD. monent, occisum, siquidem in territorio Christianorum, & ubi infideles liberè habitare non permittuntur, interfectus sit, in dubio, fidelem fuisse, præsumi ex eo, quod communiter accidit, *l. Certi 9. §. 3. ff. de Reb. credit.* Clarus *l. cit.* Gutierrez *Practic. Lib. 3. q. 7. n. 8.* & Palao *cit. n. 35. in fine.*

161. Dubium quintò est, an Assassinii crimine & pœnis teneatur pretiò conducens aut conductus, ad Christianum hominem vulnerandum, deformandum, mutilandum. Non obscurè id sustinet Alexand. *Lib. 6. Consil. 168. n. 5.* Sed contra mentem S. Congregat. *Super negotiis Episc.*

Episc. & Regular. cujus 25. Janii 1601. Neapolim reddita declaratio est, Gaudet immunitate, qui mandat, aut mandatum recipit, vel cooperatur propter pretium acceptum vel promissum ad faciem cuiusdam ferrò deformandum aut vulnerandam. Rationem S. Congregatio reddit; Quia tales impropiè dicuntur Assassini: nec tales sunt in sensu c. 1. cit. relatæ Constitutionis Innocentianæ; cum ista loquatur de sola conductione ad occidendum & procurandam mortem non solum corporum, sed & animarum: & tanquam penalè extensionem à cæde ad vulnerationem, deformationem, membri debilitationem, mutilationemque non admittat, arg. Reg. Odià 15. in 6. eitt. Guttierrez n. 69. Farinac. q. 123. n. 139. & cap. 8. n. 135. Pignatell. n. 11. & Haunold. n. 227.

## ARTICULUS XI.

## De Dispensatione in Irregularitate orta ex Homicidio vel Mutilatione.

## SUMMARIUM.

162. In hac irregularitate dispensat Papa.  
 163. Ex concessione Tridentini etiam Episcopi:  
 164. Si ea orta non sit ex homicidio iusto,  
 165. Aut iniusto voluntario quocunque:  
 166. Sed ex casuali,  
 167. Vel mutilatione occulta, non deducta ad forum contentiosum.  
 168. Occultum non est, quod est evidens, aut probari potest.  
 169. Secundum aliquos quocunque notorium non est.

170. Ad fori illud deductum dicitur id, super quo lis contestata est:  
 171. Non quomodocunque, sed cum effectu:  
 172. Quò secus & cum reo punito Episcopus non dispensat.

**C**ertum est, dispensari in hac Irregularitate posse, saltem à Papa; quia ex una, sicut cæteræ omnes, sic etiam ex homicidio quocunque & mutilatione orta irregularitas Jure Ecclesiastico est introducta, ut cum aliis T. T. & Canonistis tradunt Navarrus *Manual. cap. 27. n. 191.* Covarruvias in *Clement. Si furiosus p. 1. pr. n. 2.* & perquam eruditè ostendit Suarez de *Censur. disp. 40. f. 4. n. 2.* Non obscure idem insinuat Bonifacius VIII. pollutione Ecclesiæ per humani sanguinis effusionem &c. irregularitatis laqueum incurri, negans ex ratione, quòd id non sit expressum in Jure, c. *Is qui 18. pr. de Sent. excom. in 6.* ex altera verò parte, à Papa, tanquam suprema & Christi vicaria potestate in terris, omne Jus Ecclesiasticum dispensandò relaxari valeat, can. *Inferior 4. dist. 21. & c. Proposuit 4. de Concess. Prab. Innocent. in c. Innotuit 20. de Elect.*

Neque, ut primò intuitu videtur, cum hac doctrina pugnat; quòd ex homicidio, præsertim iniusto, orta irregularitas dici solet indispensabilis; neque id immerito; cum illi annexa jam fuisse videatur Jure Divino Veteri, *Non adificabis mihi templum, quia vir sanguinum es, Lib. 2. Reg. cap. 7. v. 5.* & Novo, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum &c. non percussorem, 1. Timoth. cap. 3. v. 3.* qualis vel maximè est homicida. At revera horum Jurium neutrum cum doctrina illa pugnat. Vetus; quia leges illius cæ-

remoniales ac Judiciales morte Christi expirarunt, teste Apostolo ad Hebraeos *cap. 7. v. 12.* relato *c. Translato 3. de Constitut.* S. Thomas 2. 2. q. 87. art. 1. Novum; quia, sicut bigamia, sic & homicidii irregularitas ad summum Apostolicum, ut ostendit Gonzalez in *c. Ex parte 5. de Bigamia n. 7.* & ex illis præceptis est, de quibus S. Paulus 1. Corinth. *cap. 11. v. 34.* ait, *Cetera cum venero, disponam.* In præceptis autem & sanctionibus Apostolicis dispensari à summo Pontifice posse, D. Thomæ *Quodlib. 4. art. 13.* Covarruvizæ de *Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 9. n. 6.* aliorumque ab isto relatorum, & posterioris ævi DD. constans est doctrina. Accedit; quòd irregularitas ex homicidio injusto indispensabilis dicatur non; quòd in ea nequeat: sed, quod rarò & perquam difficulter & ferè tantum cum Religiosis, & qui Mendicantium Ordinem ingredi volunt, consueverit dispensari, ut in *Clement. cit. p. 2. §. 3. n. 3.* Covarruvias observat.

163. De Episcopis autem, quidquid obtinuerit Jure Ecclesiæ antiquo, Concilii Tridentini decretis Reformato-riis de proposita dispensatione duo constituta sunt. Primum *Sess. 14. cap. 7.* quò loco sacrae istius Synodi PP. *Qui supra,* inquit, *voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen illud occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia conferre liceat &c.* Alterum *Sess. 24. cap. 6.* ubi iidem sic loquuntur: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta, qua oritur ex homicidio voluntario & exceptis aliis, deductis ad forum contentiosum, dispensare &c.* Quorum decretorum vigore Episcopi

164. Primò, dispensare nequeunt in ir-

regularitate, ortà ex solo defectu perfectæ Lenitatis: quam justà hostis cæde vel mutilatione miles, & rei sententià justà condemnati morte vel mutilatione judex, ejus assessores, tabellio, accusator, testes, & similes contraxerunt; quia orta non est ex delicto, quòd solò contractam relaxare *cap. 6. cit.* Episcopi permittuntur, *Garcias p. 7. de Benef. cap. 11. n. 4.* Gutierrez *Canon. Q. Q. Lib. 2. cap. 6. n. 170.* & Suarez de *Censur. disp. 47. f. 6. n. 12.*

Secundò, in irregularitate, orta ex homicidio voluntario injusto, directè intento, quantumvis hoc omnino sit occultum, Barbosa plurimis DD. relatis in *cit. cap. 6. n. 30.*

Tertiò, neque etiam in irregularitate, ex quocunque homicidio vel mutilatione orta, si ea notoria, publica aut ad forum contentiosum sint deducta, *cit.* Suarez *disp. 41. f. 2. n. 6.* & alii apud *cit.* Barbofam *n. 37.*

Quartò, contrà Episcopi dispensare possunt in irregularitate, orta ex homicidio quocunque casuali occulto, quantumvis id ex opere illicito secutum, & in eo præcavendo debita diligentia sit ommissa; ac proinde cum eo, ex cujus incauta percussione secutus est mulieris prægnantis abortus: qui, ex tecto regulam improvidè proiciendo, occidit prætereuntem: qui alterum, etiam citrà mortem, percussit mandavit, si mandatarius occidit, & similes: ut & in ea, quæ orta est ex occulto homicidio, ob defensionem quidem sui &c. at non observato inculpatae tutelæ moderamine commisso a Navarrus *cap. 27. cit. à n. 239.* Henriquez *Lib. 14. cap. 10. n. 2.* Gutierrez *Q. Q. Canon. Lib. 1. cap. 65. n. 13.* & alii apud eundem *n. 32. & 33.*

An etiam in irregularitate, ortà ex voluntaria mutilatione, si hæc occulta sit, dubitandi ratio oritur a paritate homicidii;

miciidii, cui mutilatio quoad irregularitatem contrahendam æquiparatur, *can. Si quis absciderit 4. dist. 55.* ubi mutilans homicida vocatur, Glossa in *Clement. cit. V. Mutilat.* Quâ ratione ducti Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 10. n. 40.* & Franc. Leo *Theaur. Fori Eccles. p. 1. cap. 8. n. 89.* Episcopis in irregularitate, ex ejusmodi mutilatione ortâ, dispensandi potestatem negant.

167. At melius hanc eis adstruunt Molina *Tract. 4. de J. & J. disp. 79. n. 8.* Suarez *de Censur. disp. 44. l. 2. n. 4.* Diana *p. 4. tract. 2. resol. 71.* Garcias *p. 7. de Benef. cap. 11. à n. 3.* & Barbosa *in cit. cap. 6. n. 36.* id à S. Congreg. decilum, asserentes. Ratio est partim; quia S. Synodus solum excipit irregularitatem, ortam ex homicidio voluntario: cujus exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis; ac proinde in ea, quæ occultâ mutilatione, delictò multò minori, quam est homicidium, inducta est: partim vero; quia facultas dispensandi, *cit. cap. 6.* concessa, interpretanda est latè; cum sit beneficium Principis & quidem insertum Juri communi: & non tam personæ, quam dignitati indultum, *arg. c. Cum dilecti 6. de Donat. & l. Beneficium 3. ff. de Constit. Princip.* Unde homicidium & mutilatio, licet æquiparentur quoad irregularitatem contrahendam, non tamen æquiparantur quoad gravitatem culpæ & dispensationem.

An, & quam in hac irregularitate dispensandi potestatem Prælati & superiores Regulares respectu subditorum sibi Religiosorum & aliorum habeant, latè dabunt Pellizarius *Manual. Regul. Tract. 9. cap. 3. à n. 139.* & Donatus *Prax. Regul. Tom. 2. tract. 11. g. 8.*

Ex hæctenus dictis, & *cap. 6. cit. tenore* non leve & magni in praxi momenti dubium nascitur, quando homicidium casuale aut aliud delictum occultum, atque ad forum contentiosum deductum, aut

secus censeatur. Qua de re variæ DD. 168. sunt sententiæ & terminorum illorum explicationes. Ego imprimis homicidium aut delictum aliud, ad effectum dispensationis ab Episcopo obtinendæ, pro occulto habendum censeo, si id neque evidens, neque sive ex sua natura, sive ex accidenti probari possit: quam occulti explicationem in *c. Vestra 7. de Cohabit. cler. & mul. tradunt Zabarella n. 18.* Panormit. *n. 7.* Boich. *n. 5.* & amplectuntur Garcias *p. 7. de Benef. cap. 11. n. 46.* Guttierrez *Q. 2. Canon. Lib. 1. cap. 13. n. 27.* Riccius *in Prax. decis. 523.* Fagnanus *in c. Vestra cit. n. 126.* & Corradus *Prax. dispens. Apost. Lib. 7. cap. 7. n. 13.* Rationem reddunt; quòd ista delicti occulti explicatio propriissima sit: & id, quod probari non potest, sive ex natura sua, ut actus hominis interni, sive ex accidenti, ut *vg. homicidium, nemine præsentè & conficio perpetratum, occultum esse, inficiari nemo possit.* Unde dispensationem Episcopalem non impedit, quòd pro ea supplicans de delicto irregularitatem inducente suspectus sit vel diffamatus, vel id præsentè tantum uno, vel etiam pluribus, a testimonio de eo perhibendo Jure aut facto impeditis, sit perpetratum; quia, cum probari nequeat, adhuc remanet occultum.

Non desunt graves DD. qui ad effectum dispensationis pro occulto habeant delictum, quòd, licet ab aliquibus sciatur & probari etiam possit, notorium tamen non est notorietate Facti; quòd excusari vel tergiversandò celari possit: & Juris; quòd de eo neque ex confessione delinquentis, neque ex probatione delicti, aut sententiâ istius declaratoria, vel ad pœnam condemnatoria, constet. Hanc certè occulti explicationem ad effectum dispensationum cum Navarro *cit. cap. 27. n. 255.* probant Sanchez *Lib. 8. de Matr. disp. 34. n. 55.* Maiolus *Lib. 5. de Irregul. cap. 51. n. 4.*

Dalvinus *simili Tract. cap. 26. à n. 3. & Franc. Léo Prax. S. Penit. p. 2. cap. 6. n. 6.* hujus suæ doctrinæ eam reddentes rationem; quòd delictum, partitione adæquata & omnia delicta complectente, in Notorium & Occultum dividatur; & idcirco, quod non est notorium, habendum sit pro occulto.

170. Deinde ad forum contentiosum deductum censetur delictum, super quo contestata est lis, ut cum Bossio de *Jubil. privileg. sect. 1. casu 10. §. 3. n. 36.* Gavanto *Manual. Pralat. V. Absolutio. n. 12.* docent Barbofa *cit. alleg. 39. n. 29.* & Palao *Tract. 3. disp. 6. p. 15. §. 1. n. 10.* Ratio est; quia forum contentiosum dicitur ex eo; quòd in ipso sive judiciò contendatur; in foro autem sive judiciò non contenditur, antequam inter partes contentio seu contradictio detur, quod sit per litem contestationem, *arg. c. Ex parte 30. de V. S. Maranta de Ord. judic. p. 5. n. 64.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 10. n. 55. in fine.* Unde dispensationem Episcopalem super irregularitate non impedit, quòd pro ipsa supplicantis delictum, quòd ea contracta est, per accusationis vel denuntiationis viam delatum sit ad judicem: imò etiam; quòd ab isto mandata & insinuata etiam sit citatio: nisi super illo litem contestatio sit secuta.

171. Quin litem etiam contestatio dispensationi non obstat, nisi delictum per eam in judicium deductum sit cum effectu & in judicio potuerit probari, ut cum DD. *cit. exigunt Arauxo, de Statu Eccles. Tract. 3. casu 6. n. 27. cit. Sanchez n. 57. Barbofa n. 33. Gobat Experient. Tract. 7. n. 379.* & Paul Leon. *Prax. S. Penit. p. 2. cap. 1. n. 64.* Unde in irregularitate, ex delicto occulto & ad forum etiam contentiosum deducto orta, dispensare Episcopus, litem contestatione non obstante, potest, si judicium illud finitum fuit per sententiam rei absolutoriam; etiam me-

diis illicitis obtentam; aut etiam sine sententia; quòd accusator delicti probationem non fuerit prosecutus, *cit. Barbofa n. 39. & Palao n. 11.*

Dubium est, an Episcopus dispensare valeat in irregularitate, orta ex delicto, deducto ad forù contentiosum, & in hoc, finitò judiciò, punito; id enim Affirmant Avila *p. 7. disp. 10. dub. 7.* Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 11. n. 21.* Laiman *Lib. 1. Tract. 5. p. 5. cap. 9. n. 5.* & Dianap. *4. tract. 2. resol. 97.* eà persuasi ratione; quòd reò punitò jam obtentus sit finis, ob quem in irregularitate, orta ex delicto, ad forum contentiosum deducto, dispensandi facultas à S. Synodo Episcopis est denegata; ne scilicet Curia, de delicto jam cognoscentis, auctoritas minueretur, si pendente judiciò, super eo reus absolveretur & Reipublicæ delicto ex eoque secuto scandalo offensæ debita & delinquentis punitione exhibenda satisfactio subtraheretur. Ratione ista suum de proposito dubitatione sensum DD. *cit.* facile persuaderent, si S. Synodus Tridentina irregularitatem ex delicto, ad forum duntaxat contentiosum deducto ortam, Episcopi dispensationi subtraxissent. Verùm quia *cap. 6. cit.* non ex isto tantum, sed ex publico etiam ac notorio delicto orta irregularitas ei subtrahenda est: & quod in foro contentioso legitime probatum est ac punitum, evasit publicum ac notorium notorietate Juris, in irregularitate ex delicto ad forum contentiosum deducto orta, etiam post rei punitionem dispensandi facultatem vigore decreti Synodalis *cap. 6. cit.* Episcopis competere verisimilius negant Guttierrez *Lib. 1. Q. Canon. cap. 3. n. 10.* Garcias *p. 7. de Benef. cap. 11. n. 50.* Dalvinus *de Potest. Episc. cap. 21. in fine* Barbofa *de Offic. & Potest. Episc. alleg. 39. n. 35.* id à S. Congreg. Card. declaratum asserentes, & Palao *Tract. 29. disp. 6. p. 7. n. 13.*

TITU-